DE BIBLIOTHECIS ATQVE ARCHIVIS

VIRORVM CLARISSIMORVM LIBELLI ET COMMENTATIONES.

CVM PRAEFATIONE DE

SCRIPTIS ET BIBLIOTHECIS ANTEDILVVIANIS.

ANTEHAC EDIDIT

JOACHIMVS JOAN. MADERVS.

SECVNDAM EDITIONEM CVRAVIT

Ioh: Andr: Schmidt D.

HELMESTADI,

Typis ac sumtibus GEORG-VVOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr. MDCCII.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
JO. ANDR. SCHMIDT D.

Sextus atque trigeſimus jam labitur annus, quo CL. Maderus, eximius rei antiquariæ æſtumator ſcrutatorque, virorum clariſſimorum libellos & commentationes de bibliothecis & archivis, cum præfatione de ſcriptis & bibliothecis antediluvianis, orbi erndito dedit. Placuiſſe hunc laborem litteratis, exemplarium non duntaxat defectus, ſed & do-

& doctorum judicia atque desideria monstrarunt. Utrisque ut satisfaceret Hammius, JULIAE nostræ typographus, fasciculum hunc denuo typis exscribi curavit. In ea enim est sententia, quam omnino probabunt multi, rei litterariæ optimam præstari posse operam, si illa scripta, quæ ætatem tulerunt, quæque æquas eruditorum æstumationes fuere experta, postquam in paucorum manibus esse cœperunt, omnium oculis iterum sistantur. Eum in finem meditatus quoque fuit insigne hujus operis augmentum, nisi temporis angustia & aliarum operarum multitudo eidem obstitissent. Hac

igi-

igitur vice saltem adjecit B. Herm. Conringii *commentationem de* bibliotheca Augusta, *quæ in arce Guelferbytana visitur*, *cum præsertim B. Maderus in epilogo ad eandem provocaverit.* *Cumque patris* Augusti *ad exemplum filius* Rudolphus Augustus *manuarias bibliothecas plures diversis in locis sibi collegerit, ejusdem Serenitatis, Juliæque nostræ, bibliothecarium, Venerabil. DN.* Herm. ab Hardt, *academiæ hujus hodie Vice-Rectorem magnificum exoravimus, ut pro ratione muneris, quod gerit, brevem de* Rudolphinis bibliothecis *commentatiunculam nobiscum communicaret.* *Præstabit*

id

id quoque pro amore , quo fertur in rem omnem bibliothecariam; atque ea, quæ de illis dici poſſunt , quam primùm tempora viderit molliora, cum cura conſignabit, nobisq; tradet operi futuro inſerenda. Supra laudatus enim typographus pollicetur B. C. D. annis ſequentibus ſingulis de re bibliothecaria volumen aliquod ſcriptorum, quæ vel non amplius in terris noſtris apparent , vel exoticis conſcripta linguis a paucis legi poſſunt, publicæ dare luci, & latina veſte donare. Qua occaſione eruditos ſimul enixe rogatos volo, ut mihi indicinam faciant , an Jodoci à Dudinck, *canonici Reſenſis & paſtoris*

Vinen-

Vinensis ad Rhenum, sequentes libros viderint unquam, vel possideant ipsi? nim. Bibliothecariographiam, *hoc est, enumerationem omnium auctorum operumq; quae sub titulo bibliothecae, catalogi, indicis, nomenclatoris, Athenarum, &c. prodierunt;* & Palatium Apollinis ac Palladis, *hoc est, designationem praecipuarum bibliothecarum veteris novique seculi. Vterque liber citatur a* Valerio Andrea Desselio *JC. in bibliotheca Belgica p. m. 593. quasi Coloniae apud Jodocum Kalcoven* 1643. 8. *prodiisset, quem deinde alii fuere secuti; sed neque a B. Sagittario, neque a me, adhibita licet omni diligentia*

gentia, exquiri potuit. Quamvis vero hæc ſcripta, ſi titulis fides eſſet habenda, inſtitutum noſtrum egregie juvarent, non deerunt nihilominus alia, quæ illorum defectum ſupplebunt & ſitim noſtram reſtinguent, cum præcipue cuivis lectorum liberum relinquamus, an nobis benevole indicare velit, quosnam libros huic collectioni in poſterum velit inſertos. Dabam Helmſtadii, XII. Cal. Maij A.O.R. MDCCII.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

Dn. RUDOLPHUM AUGUSTUM DUCEM BR. ET LUNEB.

epistola

JOACHIMI JO. MADER.

DE

SCRIPTIS ET BIBLIOTH. ANTEDILUVIANIS.

EDiturus, PRINCEPS SERENISSIME, quæ clarissimi aliquot, ac bene de republ. literaria meriti viri, de bibliothecis, qua vetustis, qua recentibus, earumque conditoribus sapientissimis, munificentissimis, memoriæ ac literis prodidere, quos inter universos SERENISSIMUS VESTER PATRIAEQUE PARENS OPT. MAX., dominus meus benignissimus, ita præfulget, velut ignes inter luna minores; non potui non in eam devenire cogitationem, an etiam primis temporibus, priusquam diluvialis irruptio universa obduceret, extiterint literæ ac libri, adeoque quoddam bibliothecæ saltem *ἀνάλογον*, si non omni ex parte respondens. Quod si enim tum fuerunt literæ, utique illæ scriptionis gratia sunt excogitatæ, quocunque tandem modo, vel qualicunque in materia, aliquid fuerit exaratum, quorum monumentorum aliqualis numerus vel

a col-

collectio, utut sese habuerit, quidni bibliothecæ queat venire nomine? Jam *literarum usum*, ut cum Plinio loquar,[a] *æternum* pene fuisse, vel potius cum primo statim homine coepisse, quempiam, puto, facile diffiteri nolle, nisi qui Adamo simul abjudicaverit, quæ eidem propter summam ipsius excellentiam dignitatemque omnino debuere competere. Etenim dubio procul est, nihil unquam in hominum genere extitisse nobilius vel sapientius; utpote quem Deus ter max. *ταῖς οἰκείαις χερσὶ κατ' οἰκείαν εἰκόνα τε καὶ ὁμοίωσιν*, *propriis manibus ad suam imaginem & similitudinem, formaverat*, *πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα, οἷόν τινα κόσμον δεύτερον ἐν μεγάλῳ μικρόν*; *omni virtute decorum, bonis omnibus ornatum, velut secundum quendam mundum in magno parvum*: uti elegantissime Ioh. Damascenus[b] *Faciamus hominem ad imaginem similitudinemque nostram*,[c] h. e. *largiamur ei rationis abundantiam*; verba ista declarat Magnus ille Basilius;[d] *à quâ*, ut etiam Philonis utar verbis, *profecta vox articulata est, quæ in ore articulari linguæ plectro absolvitur: ut ita expressa, sermo jam non nuda vox informisque fieret, sed mentis interpres.*[e] Neque enim Diodorus Siculus, scriptor alias optimus, hic audiendus, dum *homines primitus natos vitam inconditam & beluinam egisse* scribit;[f] *ut qui sparsim ad pascua exierint, & sapidissimam quamq. herbam, ac sponte natos fructus comederint: cumque à feris infestarentur, mutuo sibi opitulari usu edocti, & metu ad societatem adacti, paulatim cognatas inter se formas*

a Lib. 7. cap. 56.

b Orthod. fid. lib. 2. cap. 12.

c Genes. 2.

d Apud Glycam annal. part. 1. pag. 112.

e Confer & Theodoretum. orat. 3. de Provid. p. 35. edit. Lips. 1566.

f Lib. 1. biblioth. c. 8.

mas agnoverint: voce autem adhuc confusa & nihil significante, pedetentim verba articulate pronunciando, & signis unamquamque rem subjectam notando, elocutionem tandem rerum omnium sibi notam fecerint: & cum per totum orbem hujusmodi cœtus coierint, & quique, ut fors dabat, verba connexuerint, non eadem omnes loquela usi sint: ideoque variæ omnis generis linguarum formæ extiterint: Vel etiam Horatius quando canit:[g] g Lib. I. Sat. III.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem, atque cubilia propter
Vnguibus, & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus:
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere. Dehinc absistere bello.

Sed potius illa Ecclesiastici[h] attendenda, prout quidem Sanctes Pagninus vertit: *Iudicium, linguam, oculos, aures & cor Dominus dedit eis ad cogitandum: sexto loco mentem quoque donavit dispertiens, & septimo sermonem interpretem operum suorum.* Nam statim, ut deducta ad hominem mulier est:[i] *Hoc nunc*, inquit, *os ex ossibus meis & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumta est.* Idque *initium oris & communis eloquii Hebræam fuisse linguam, qua vetus testamentum scriptum est, universa tradidit antiquitas*, teste B. Hieronymo:[k] *quæ* tum quidem ex mente D. Augustini,[l] *humana vocabatur lingua, ut qua sola universum genus humanum loquebatur; postea vero, divisis per alias linguas cæteris gentibus,* quod *in familia Heberi* remaneret, *distingui*

h Cap. 17. vers. 15.
i Gen. 2. v. 23.
k Epist. 142. ad Damasum.
l Lib. XVI. de civ. Dei cap. IX.

meruit *ab aliis linguis nomine proprio, sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis.*

Adducebantur vero ad Adamum & reliqua animalia, ut infinitam illorum multitudinem propriis appellationum insignibus dirimeret, ac nomen cujusque naturæ consentaneum inderet. Cujus gratia Basilius Seleuciensis [m] Deum ita ipsum inducit alloquentem: *Γενοῦ δημιουργὸς ὀνομάτων Ἀδὰμ, ἐπειδὴ μὴ κτισμάτων ἰσχύεις· καὶ πλαττέσθω μὲν ὑπ' ἐμοῦ, καλείσθω δὲ παρὰ σοῦ τὰ πλαττόμενα. μερισώμεθα τῆς δημιουργικῆς σοφίας τὴν δόξαν. ἐμὲ μὲν γνωριζέτω δημιουργὸν τῷ νόμῳ τῆς φύσεως, σὲ δὲ μανθανέτω δεσπότην τῷ λόγῳ τῆς κλήσεως· δίδου προσηγορίαν, οἷς ἐγὼ τὴν οὐσίαν. οὐκ ἀνατρέπω τὴν κλῆσιν, οὐκ ἀναπλάττω τὴν χάριν. πᾶν γὰρ ὃ ἂν ἐκάλεσε αὐτὸ ὁ Ἀδὰμ, τοῦτο ὄνομα αὐτῷ. Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes; formentur à me, nominentur à te quæ procreata sunt. Partiamur fictricis hujus solertiæ gloriam. Me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine Inde nomen, quibus ego essentiam. Non appellationem everto, non gratiam refingo. Omne enim, quod vocavit Adam, ipsum nomen ejus.* Uti & credibile est, ipsi Deum, ceu patrem filio, tam cœlestium quam terrestrium rerum ab se conditarum, naturam, virtutes, effectus & usum exposuisse; leges item ac modum vivendi præscripsisse, simul eum in finem, ut ille cæteris mortalibus, id est, liberis suis traderet. Quam in sententiam Augustinus Steuchus, præclaro de Peren-

[m] Homil. 2. in Adam. pag. 12. edit. Commel. 1596.

renni Philosophia opere:[n] *princeps humani generis creari se vidit à Deo, suis eum oculis aspexit, pulchritudinem mundi nascentis ac nati vidit, nomina bestiis fecit, cæteraque percepit, quorum in eo certissimam fuisse scientiam, multiplex & irrefragabilis ratio demonstrat. Nepotes ejus, qui diu cum annoso patre vixerunt, vidit Noë: & ut credere fas est, formosum parentis corpus, formosiorem animam referentes audivit. Et quæ diviniora sunt, audivit eos theologiam divini patris recensentes, ut in paradiso creatus, ut moratus, ut pulsus fuisset. Qua cœlum ac terræ, animalia, ratione creata; quid primum, quid postremum conditum: quam arbores illæ, altera vitæ, altera scientiæ boni & mali, vim haberent. Omnem enim magni genitoris illius, ac magnæ genitricis sermonem theologiam fuisse credendum est, ut perpetuum de rebus ante casum suis, de ortu, habitu, formis angelorum, & dæmonum loquerentur. Quid enim possumus aliud suspicari.* Et vir doctissimus David Chytræus, enarratione sua in Genesin:[o] *florentissima illius aureæ ætatis ecclesia & academia fuit, in qua annos 930. Adam suis filiis & posteris tradidit doctrinam de Deo, de creatione rerum, de imagine Dei, ad quam homo conditus erat, de suo lapsu, de pœnis ejus lapsus, de morte & miseriis humanis, de promissione venturi seminis, propter quod recepti essent, de tollendo peccato & morte, & restitutione vitæ æternæ, de futuro judicio. Addebant etiam doctrinam de natura rerum, viribus & usibus plantarum, de legibus motuum cœlestium, quas Iosephus sculptas in tabulis scribit posteris traditas esse. Ac in tanta ætatis diuturnitate & ordinem motuum accurate obser-*

n Lib. 1. c. 1. pag. 4. edit. Basil. 1542.

o pag. 187. edit. Witteb. 1561.

vare, & universæ sapientiæ divinæ & humanæ studium confirmare potuerunt. Multis vero ante ipsos seculis Serenius Abbas apud Johannem Cassianum:[p] *Primus homo, qui universarum naturarum institutionem è vestigio subsecutus est, veram physicæ philosophiæ disciplinam potuit evidenter attingere, suisque posteris certa ratione transmittere. Quippe qui mundi ipsius infantiam adhuc teneram, & quodammodo palpitantem rudemque conspexerat, & in quem tanta est non solum sapientiæ plenitudo sed etiam gratia prophetiæ divina insufflatione transfusa, ut universis animantibus nomina rudis adhuc mundi hujus habitator imponeret, ac non solum omnigenum bestiarum ac serpentium furores virusque discerneret, sed etiam virtutes herbarum, arborum quoque lapidumque naturas ac temporum nec dum expertorum vicissitudines partiretur.* Tum Gotefridus Viterbiensis in procemio operis historici, quod Pantheon inscripsit:[q] *Primus protoplastes Adam, quem omnium rerum scientiam & omnes artes legimus habuisse, & post sui creationem diuturnitate temporis multa didicisse, potuit & voluit juniores suos, eaque ipse noverat, edocere.* Ut longe rectius illi conveniant, quæ Mercurio suo affingit Diodorus:[r] *Primum illum communem loquelam articulatim distinxisse, & multis rebus, quæ antea sine nominibus erant, nomina indidisse: literas etiam invenisse.*

p Collat. 8. cap. 21.

q pag. 31. tom. 11. rer. Germ. Pistor.

r Lib. 1. biblioth. cap. 16.

Quorsum enim illa rerum præstantissimarum verberato aëre statim transeuntia verba, nec diutius manentia, quam sonant, nisi eorum per literas ab eodem instituta essent signa, per quæ voces, animo quæ forte

te exciderant, oculis de novo ostenderentur? Siquidem, ut optime Maximus Tyrius:[s] *Sermo noster, ore cum profertur, nihil opus habet, ut constet ullis literis, nisi eas humanæ mentis propterea excogitasset imbecillitas, ut sic ingenii sui occurrentes tenuitati, earum opera notarum rursus in mentem rediret.* Et Isidorus, Hispalensis episcopus:[t] *Literæ sunt indices rerum, signa verborum; quibus tanta vis est, ut nobis dicta absentium sine voce loquantur. Verba enim per oculos, non per aures introducuntur. Literarum usus propter memoriam rerum repertus est. Nam ne oblivione fugiant, literis alligantur. In tanta enim rerum varietate, nec disci audiendo poterant omnia, nec memoria contineri.* Quæ postrema idcirco Gobelinus Persona Cosmodromio suo[u] inseruit, ut illarum inventorem & quasi architectum manifesto statuat Adamum: *Apparet*, inquit, *à primo homine literarum exordium emanasse. Literarum vero usus propter memoriam repertus est, &c.* Disertissime idem Suidas in vocabulo Ἀδάμ. τέτε τέχναι καὶ γράμματα. *hujus sunt artes & literæ*: qui, licet Setho quoque, adami filio, inventi hujus deferat gloriam, ut deinceps apparebit, attamen & Freculphum Lexoviensem longe ipso antiquiorem (quippe qui circa annum Christi 830. claruit) in illo ὁμόφωνον habet, cujus verba:[x] *Liquido claret, ab ipso exordium literarum primo homine cœpisse, qui adhuc supererat, quando liberi ac nepotes sui in studio sapientiæ fervebant.* Et quamvis laudatus Hipponensium præsul alicubi[y] ignorare se scribat, *unde*

pro-

[s] Differt. 38. pag. 379. edit. Lugd. B. 1614.

[t] Lib. 1. Etym. c. 2.

[u] Ætat. I. cap. 8.

[x] Chron. tom. I. lib. I. cap. 12.

[y] Lib. 2. quæst. sup. Exod. c. 69.

probari possit, quod nonnullis videatur, à primis hominibus literas cœpisse, & perductas esse ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israel; certe idem ille alio loco, z *Non credendum esse*, ait, *quod nonnulli arbitrantur Hebræam tantum linguam, per illum qui vocatur Heber, unde Hebræorum vocabulum est, fuisse servatam, atque inde pervenisse ad Abraham: Hebræas autem à lege cœpisse, quæ data est per Mosen: sed potius per illam successionem patrum memoratam linguam cum suis literis custoditam.* Imo & citatus à nobis ante Gotefridus, qui Conrado III. & Friderico I. Impp. à scriniis sacris fuit, & peregrinatione *XL.* annorum, omnes bibliothecas excutiens, magnam sibi & rerum & linguarum cognitionem paravit, expresse Chronici sui parte I. a

z Lib. 18. de civ. D. cap. 39.

a pag. 15.

Fertur Adam longas laterum formasse figuras,
In quibus & rerum statuit describere summas:
A quibus accipimus, si qua vetusta damus.

Quibus ut allusum videri queat, ad columnas filiorum Sethi ex Josepho infra pluribus excutiendas, tamen cur non & parens longe sapientissimus, cujus ad exemplum totus tum componebatur orbis, ea in re filiis nepotibusve satis potens fuerit præire. Atque hanc veterem Judæorum, simul & Arabum, traditionem esse, Adamum, uti litterarum inventorem, ita & librorum scriptorem fuisse, pluribus ipsorum testimoniis probare annititur Athanasius Kircherus Obelisci Pamphilii lib. 1. cap. 1. Juxta quem ita Albulhessam Mahumed, Abn Abdalla Elhessadi in historia Saracenica

nica MSta rerum ab orbe gestarum, sicuti hæc illius verba latine repræsentat:[b] *Deinde tradidit Adamo Deus* XXI. *paginas suis exaratas & incisas literis. Fuit hic primus liber & prima lingua conscriptus. Continebat autem præcepta & traditiones in generationes secuturas, & interpretationem literarum, pacta, statuta & promissiones & historias mundi totius exhibebat. Et repræsentavit Deus excelsus in hisce generationes hominum singulas & figuras eorum, & directiones eorum, cum regibus eorum, cum omnibus & singulis, quæ in terra gererentur usque ad cibos & potiones. Deinde cum Adam vidisset in hisce ea quæ filiis suis debebant accidere, flevit planctu magno. Tunc præcepit illi Deus, ut scriberet ea calamo. Et accepit pelles è pecoribus, & præparavit ipsas, usque dum fierent albæ, & scripsit in eis* XXIX. *literis &c.* Ne quid nunc de illis dicam libris, quos hæretici quondam de Adamo, & sub Adami nomine, confingere & divulgare voluere; *revelatione scilicet Adæ, quando Deus immisit soporem in illum*; libro *de genealogia vel filiis & filiabus Adæ*, & alio *De pœnitentia ejusdem*, ex Gelasio aliisque à Sixto Senensi[c] memoratis, & tanquam spuriis inter damnatas scripturas ab ecclesia jamdudum repositis; qualia etiam Setho ipsius filio à *Sethoitis* sive *Sethianis* hæreticis affiсta fuisse apud Epiphanium legas hæresi XXXIX.[d]

b edit. Rom. 1650.

c Bibl. sanct. lib. 1. pag. 46 edit. Colon. 1626.

d pag. 91. edit. Basil. 1579.

Qui quidem Sethus ita alias literarum scientiam legitur propagasse, ut & ipse earum repertor à multis prædicetur. Nam iterum Suidas: θεὸν γὰρ τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, τάς τε τῶν ἀστέρων ὀνο-

μασίας, καὶ πρὸς τέλοις πολλὴν εὐσέβειαν αὐτοῦ θαυμάσαντες. *Seth ab hominibus illius ætatis Deus fuit appellatus, eo quod & Hebraicas literas, & stellarum appellationes invenisset, omnibusque admirationi esset, ob insignem ejus pietatem.* Joël quoque in Chronographia compendiaria:[e] ὁ Σὴθ πρῶτος ἐξεῦρε γράμματα Ἑβραϊκὰ, καὶ σοφίαν, καὶ τὰ σημεῖα τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τὰς τροπὰς τῶν ἐνιαυτῶν, καὶ τοὺς μῆνας, καὶ τὰς ἑβδομάδας, καὶ τοῖς ἄστροις ἐπέθηκεν ὀνόματα, καὶ τοῖς πέντε πλανήταις εἰς τὸ γνωρίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Sethus primus Hebraicas literas, scientias, signa cœli & tempestatum vices, menses, nec non hebdomades, excogitavit: sideribus quoque & quinque planetis, ut ab hominibus dignosci possent, nomina imposuit.* Et Michael Glycas ex Georgio Syncello:[f] *Georgius Sethum tradit primum invenisse Hebraicas literas, signa cœlestia, conversiones annorum, menses, septimanas. Eundem sideribus & stellis septem erraticis indidisse nomina, de quibus agnoscerentur. Hic Sethus cum annos 912. vixisset, fato functus est, tum propter virtutem pro Deo habitus, tum quod Hebraicas literas & appellationes siderum primus invenisset.* Quamquam, quod Dei appellationem attinet, Enoso Sethi filio, eam tributam primum voluit Cyrillus Alexandrinus,[g] cum esset δικαιοσύνης καὶ ἀρετῆς ἁπάσης μελεδωνὸς, *justitiæ ac virtutis omnis studiosus. Cujus posteri, avitæ probitatis vestigiis ad usque Noë tempus insistentes, boni ac justi omnique virtute præditi fuerint, nec genus miscuerint, sed à profanis sejuncti filii Dei sint vocati.* De quibus & intelligendum monet illud Genes. VI. v. 2.

[e] pag. 151. edit. Paris. 1651.

[f] Annal. part. 2. pag. 168 edit. Basil. 1571.

[g] Lib. IX. contra Julianum.

filii

filii Dei h. e. Enos posteri, *videntes filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt*: contra, quam Julianus apostata opinabatur, per Dei filios ibi angelos à Mose fuisse intellectos. Cujus sententiæ permulti quoque ex patribus Græcis Latinisque, Irenæus scilicet, Justinus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Tertullianus, Lactantius, & Sulpitius Severus fuere, qui falso, *angelos relictis superioribus, mortalibus se matrimoniis miscuisse*, contendebant.

Cæterum de Setho ejusque posteris, etiam Josephus prodidit, [h] φιλαληθέςατος Historicorum: Σοφίαν περὶ τὰ ȣ̓ράνια, *disciplinam rerum cœlestium & ornatum earum ipsos invenisse. Ne autem inventa ab hominibus dilaberentur, aut antequam venirent ad cognitionem deperirent: cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram vero aquarum vi ac multitudine fore venturam, duas facientes columnas, unam quidem ex lateribus, alteram vero ex lapidibus, in ambabus quæ invenerant conscripsisse, ut si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere*: prout quidem Græca hactenus Sigismundo Gelenio melius expressit Freculphus.[i] Nam quæ in textu sequuntur: δηλȣ̃σα καὶ πλινθίνην δ' ὑπ' ἀυτῶν ἀναϛεθῆναι. μένει δ' ἄχρι τȣ̃ δεῦρο κατὰ τὸν Συριάδα. *manifestans etiam lateritiam ab iis fuisse erectam. Manet autem in hunc usque diem in Syria*: sicut à præcedentibus optime distinxit vir incomparabilis Ioh. Gerhardus Vossius,[k] uterque non

h Lib. 1. antiq. Iud. cap. 4.

i tom. 1. lib. 1. c. 11.

k Lib. 1. de arte Gram, cap. 9.

l Annal. tom. 1. p. 9. edit. Basil. 1557. est assecutus. Breviter idem Zonaras: l ὁ Σὴθ ἀρετὴν μελήει καὶ μιμητὰς τοὺς ἀπογόνους κατέλειψεν, οἳ σοφίαν τὴν περὶ τὰ οὐράνια κατενόησαν· καὶ στήλαις δυσὶ τῇ μὲν ἐκ λίθου τῇ δὲ ἐκ πλίνθου ὀπτῆς πεποιημέναις, τὰ εὑρημένα ἐνέγραψαν, ἵνα καὶ τοῖς μετέπειτα σώζωνται. ἔσεσθαι γὰρ ἀφανισμὸν τοῦ παντὸς Ἀδὰμ προειρήκει, ἐκ πυρός τε καὶ ὕδατος. *Sethus virtutem coluit, & imitatores sui posteros reliquit, qui disciplinam rerum cælestium invenerunt, & duabus columnis, alteri lapideæ alteri ex lapide coctili inscripserunt, ut & iis, qui deinceps futuri essent, conservarentur. Universitatem enim rerum & igni & aqua perituram, Adamus prædixerat.* Atque auctor operis imperfecti in Matthæum, usque eo Sethum in illo studiorum genere profecisse innuit, ut de stella circa nativi-

m Vid. Sixt. Senens. lib. 21. pag. 132. tatem servatoris apparitura quædam præcinuerit.[m] Explicans enim illud evangelistæ: *Vidimus stellam ejus in oriente: Audivi*, ait, *aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non destruente fidem, sed potius delectante: quoniam erat gens quædam, sita in ipso principio orientis, juxta oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura, inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, & muneribus hujusmodi Christo offerendis: quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filiis*

n Petrus Comest. hist. Genes. cap. 31. *suis, habebatur deducta.* Et loquuntur historiæ [n] *habitasse eum in quodam monte Paradiso proximo:* forte ut tanto rectius *stellarum motus, & vias, & discessiones, & cœtus,*

o Lib. 14. noct. Att. cap. 1. quod Chaldæis transscribit Gellius, [o] *intueretur & obser-*

servaret. Plane ac gentilium Promethea, illum primorum hominum, secundum Mythologos, ex luto fictorem fecisse legere est, qui *astrologiam*, juxta Servium,[p] *Assyriis indicavit primus; quam residens in monte altissimo Caucaso nimia cura & solicitudine deprehenderat Mercurio duce, à quo propterea ad saxum dicebatur religatus.* Quem quidem non alium quam Adamum fuisse judico, ut qui amisso immortalitatis dono, quod pro se suisque posteris acceperat, in peccatum prolapsus, filios ex luto formavit, illam mortis sententiam in eos, derivando: *Terra es, & in terram reverteris*: sicut nemini non exploratum est, quam soleant ethnici sub fabularum involucris veritatem tegere: qui etiam omnium rerum naturam & siderum motus, & quicquid scientiarum ex his profluxit, Deo magistro primus cognovit, filiisque tradidit.

p Ad Virgil. Ecl. VI. p. 75. edit. Basil. 1613.

Ac ut ad statuas à Sethi posteris erectas regrediamur, Petrus Comestor[q] illa Josephi, *patri omnium contrectantium citharam & organum Iubal*, Lamechi ex Caini posteritati oriundi filio, adsignat: *qui fabricante Tubalcain fratre, ferrariæ artis inventore, sono metallorum delectatus, ex ponderibus eorum proportiones, & consonantias eorum, quæ ex eis nascuntur excogitaverit, adeoque musices auctor extiterit*, i. e. *consonantiarum; ut labor pastoralis quasi in delicias verteretur. Et quia*, pergit, *audierat, Adam prophetasse de duobus judiciis, ne periret ars inventa, scripsit eam in duabus columnis, in qualibet totam, ut dicit Iosephus, una marmorea, altera lateritia; quarum altera non diluere-*

q Histor. Genes. cap. 28.

tur

tur diluvio, altera non solveretur incendio. Quod ipsum auctor Fasciculi temporum[q] simul ad alias artes ac disciplinas extendit, atque una cum ipso Hartmannus Schedel, Chronico, quod *Norimbergense* vulgo inscribitur, iisdem pene verbis:[r] *Nota quod omnes artes vel scientiæ seculares, liberales sive mechanicæ vel physicæ, humanæ curiositati deservientes à filiis Lamech leguntur inventæ; & sic filii adulterini primum subtiliores aliis fuerunt. Et quia timebant futurum periculum diluvii & ignis, ideo Tubal easdem artes in duabus columnis sculpsit, una lateritia, & alia marmorea.* Et sane de Chamo quoque, Noachi impio atque degeneri filio, (quem magicæ inventorem, sub *Zoroastris* decantato nomine, haud pauci statuunt) memoriæ datum,[s] *septem ipsum liberales artes in quatuordecim columnis scripsisse, septem æneis & septem lateritiis, contra utrumque diluvium.* Cassianus vero non alia ferme ratione alterius illius artis suæ ipsum propagatorem facit, quam quod ante fatalem illum diluvii diem, metallorum laminis, ac durissimis lapidibus, eam insculpserit, atque sic ad postdiluvianos mortales transmiserit. *Quantum*, inquit,[t] *antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noæ, qui superstitionibus istis & sacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in quam erat una cum patre justo & sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes ac profana commenta diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum non corrumperentur injuria, & durissimis lapidibus insculpsit.*

[q] Aetat. I. pag. 3.

[r] Fol. 10. a. edit. 1493.

[s] Petrus Comest. histor. Gen. c. 39.

[t] Collat. 8. cap. 21

Quæ

Quæ diluvio peracto, eadem, qua celaverat, curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetratæ nequitiæ seminarium, transmittit in posteros. Cujus vestigia forte legit Marianus Scotus chronologus haud contemnendus, ita sub annum mundi 1110. rem expediens: *Filiæ hominum*, i. e. *filiæ Cain, docuerunt filios Seth viros suos ad res profanas & noxias, & maleficorum artes, & præstigias magicas, & elementa vel ignem, vel aëreos dæmones, colere primum instinctu dæmonum, sicut gens Cain consuevit; quod posteros maculavit. Cham vero filius Noæ, qui superstitionibus istis erat imbutus, ne diluvio delerentur, scripsit ea in laminis, & in durissimis inscripsit lapidibus, & inveniens ea post diluvium perdidit docendo posteros.* Pariter ut Cainanus Arphaxadi[u] ex Græcorum supputatione filius, Noachi pronepos, apud prædictum Ioëlem, chronographum græcum,[x] *συνεγράψατο τὴν Ἀστρονομίαν, εὑρηκὼς τὴν τοῦ Σὴθ, καὶ τῶν αὐτοῦ τέκνων ὀνομασίαν, καὶ τῶν ἀστέρων ἐν πλακὶ λιθίνῃ γεγλυμμένην. Astronomicam scientiam commentario complexus est, cum Sethi & filiorum ejus nomenclaturam, & siderum saxeo cippo insculptam invenisset.*

Sed ne longius; quam necesse, est, nostra fluat oratio, in Enocho tandem exemplorum constituatur finis; non isto Caini primogenito, à quo Enochia, prima in orbe urbs, denominata, quæ certe una cum reliquis sex tum temporis, ex quorundam opinione[y] conditis, absque legibus utcunque scriptis, (ut sine quibus ne latronum quidem societas coëat) per tot præsertim seculorum vices, haud quivit consistere: sed

u Vide inter alios Nicephori chronol. pag. 36. edit. Lips. 1579.

x pag. 149. edit. Paris. 1651.

y Adi August. Torniellii annal. ad annum O. C. 133. Pseudo Philonis, vulgo sic inscript. Antiq. bi-

blioth. p. 42. edit. Commel. 1599. sed illo *aeternitatis candidato*,[z] Iaredi filio, *qui, quod cum Deo ambulavit, sublatus, non comparuit amplius*. De hoc enim B. Augustinus: *Scripsisse nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Iudas apostolus dicat*. Et Honorius Augustodunensis:[a] *Hic literas reperit*, (*quasdam literas*, ait Petrus Comestor) *& quosdam libros scripsit*. Ioannes Chravvs in chronico MSto: *Iste Enoch Deo placens translatus est in paradisum, & vivit cum Helia: Qui quibusdam literis inventis, librum etiam, ut in epistola Iudae continetur, scripsit, sub quo Adam creditur mortuus*. Et Theodoricus Engelhusius, una cum priore isto brevi à nobis edendus: *Hic septimus in generatione piorum fuit optimus; sicut Lamech in generatione impiorum pessimus. Multa scripsit, cujus meminit Iudas in canonica sua*. Verba Iudæ quibus signanter citat Henochi prophetiam versu 14. & 15. epistolæ suæ hæc sunt: *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adam Enoch, dicens: ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis; ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat, quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus, quae impii patrarint, deque omnibus duris, quae locuti fuerint adversus ipsum peccatores impii*. Verum & Tertullianus non uno loco testimonio librorum Enochi utitur, ut libro de Idololatria cap. IV. & XV. Primo item de cultu fœminarum cap. III. & secundo cap. X. ubi hoc penultimo quidem loco auctoritatem eorum aliquot vindicat rationibus: *Scio*, inquit,[b] *scripturam Enoch, quae hunc ordinem angelis dedit*, (loquitur vero ibi de

z Tertull. contr. Iudæos c. 2.

a Lib. 3. de imag. mundi. p. 128.

b pag. 171. edit. Paris. 1641.

de angelis, *qui ad filias hominum de cœlo ruerunt;* quam in sententiam animum inclinasse ex patribus nonnullos, supra notavimus) *non recipi à quibusdam, quia non in armarium judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante cataclysmum editam, post eum casum orbis omnium rerum abolitorem, salvam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem cataclysmi Noë, qui utique domestico nomine & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de proavi sui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis ejus: cum Enoch filio suo Matusalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & alias non tacuisset, tam de Dei conservatoris sui dispositione, quam de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expedite haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur. Perinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare; quemadmodum & Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum judaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum. Sed cum Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino rejiciendum est, quod pertineat ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari. A Judæis potest jam videri propterea rejecta, sicut & cætera fere quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit, quod Enoch apud Judam apostolum testimonium perhibet.* Citatur quoque in eclo-

gis propheticis Theodoti Clementi Alexandrino subnexis [c] propheta Daniel ὁμοδοξῶν τῷ Ἐνώχ: & pag. 808 quæ *Enoch homines ab angelis edoctos esse tradiderit:* sicuti etiam in *testamento duodecim patriarcharum* [d] ab Origine & Procopio sæpe allegato invenias, quæ *de Servatore nostro* idem prædivinarit.

c pag. 801. Edit. Paris. 1641.

d Vid. Pameliũ notis ad Tertull. pag. 233. edit. Paris. 1635.

Quamvis quis dubitare haud immerito possit, num liberis, ex quo S. Judas testimonium desumsit, vel etiam, quo post apostolos usi sunt tot ecclesiæ doctores, verus atque germanus Enochi fuerit: prout jam olim controversum fuisse, ex modo allata doctissimi patris defensione sic satis claret. Quo in examine maximi ponderis semper visum, quod in *armarium Judaicum*, sive canonem scripturarum veteris testamenti non esset admissus, quod propter auctoris & sanctitatem & antiquitatem fieri omnino debuerat, si de scripti γνησιότητα certi quid constitisset. Unde Origenes homil. XXVIII. libri Numerorum: [e] *Qui fecit multitudinem stellarum, ut ait propheta, omnibus eis nomina vocat: de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur Enoch, secreta continentur & arcana: sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, ea quæ ibi nominantur in exemplum afferre differamus.* Nec non Hermannus Contractus in chronico: [f] *Enoch nonnulla divina scripsisse, Juda apostolo attestante comperimus. Sed ut B. Augustinus dicit: Non frustra non sunt in eo canone scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum.*

e pag. 281. Tom. 1. edit. Basil. 1571.

f pag. 86. tom. 1. Pistor. edit. Francof. 1613.

Cur

Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite servasse. Unde illa quæ sub ejus nomine proferuntur & continent istas de gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, recte à prudentibus judicantur non ipsius esse credenda. Ex quo, vel potius ipso Augustino lib. XV. de Civ. Dei cap. 23. emendari debet Marianus Scotus, [g] perperam hæc eadem *Enoso Sethi* attribuens, atque etiam ratione verborum multa pervertens; quod postremum tamen rectius fortassis exscriptoris datur oscitantiæ vel inscitiæ: simul vero inde efficias cogasque, causam & fontem, quo minus in canonem reciperentur, fuisse partim vetustatem nimiam; ne per occasionem falsa pro veris insererentur, partim, quod *contra fidem librorum canonicorum in ijs quædam legerentur, propter quod prorsus illius non esse apparerent.* Sic enim rursus egregius antistes lib. 18. ejusdem operis, cap. 38. *Quid Enoch septimus ab Adam? Nonne etiam in canonica epistola apostoli Iudæ prophetasse prædicatur? quorum scripta ut apud nos & apud judæos in autoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt. Sed ea castitas canonis non recipit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt reprobetur autoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum.* Et ne quem teneat admiratio,

[g] Eodem Tomo p. 270.

qui hoc fiat, ſtatim tam de hujus, quam de aliorum veteris ævi, operibus ſubjungit: *Nec mirum debet videri, quod ſuſpecta habeantur, quæ ſub tantæ antiquitatis nomine proferuntur, quandoquidem in ipſa hiſtoria regum Iudæ & regum Iſrael, quæ res geſtas continet, de quibus eidem ſcripturæ canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicentur, & in libris aliis inveniri dicuntur, quos prophetæ ſcripſerunt, & alicubi quoque eorum prophetarum nomina non tacentur*: (intelligit autem geſta David regis priora & noviſſima, conſcripta à Samuele, Gad, & Nathan prophetis, de quibus in fine libri Paralip. legimus; geſta Salomonis, Nathan, Ahiæ Silonitæ & Addo videntis 2. Paralip. 9. geſta Roboam ſcripta in libris Semeiæ prophetæ & Addo videntis 2. Paralip. 12. & ſimilia ſcripta) *nec tamen inveniuntur in canone, quem populus Dei recepit. Cujus rei, fateor, cauſa me latet, niſi quod ego exiſtimo etiam ipſos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis eſſe deberent, ſanctus utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines hiſtorica diligentia, alia ſicut prophetas inſpiratione divina ſcribere potuiſſe, atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta vero tanquam Deo per ipſos loquenti judicarentur eſſe tribuenda: ac ſic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis ubertatem, in qua auctoritate cuſtoditur canon.*

Cœteroquin Enochum eundem cum Hermete Triſmegiſto, vel primum potius Hermetem fuiſſe, teſtes laudat Athanaſius Kircherus aliquot Hebraicos atque Arabicos ſcriptores. *Eſt*, inquit, [h] *quidam com-*

[h] Obeliſci Pamphil. lib. 5. cap. 3.

commentarius MStus hic Romæ in collegio Neophytorum, cuinomen Domus Melchisedech, qui ubi tractat de vita, moribus, atque *origine Melchisedech regis Salem, mentionem quoque frequentem Hermetis facit, quem Idaris vel Adaris vocatum multiplicem fuisse vult, ita ut primum Hermetem dicat Henochum. Verum verba ipsa allego: (primum Hebraica ponit)* Fuit autem Henoch nomen Adris, & post eum alius Adris, cui nomen in lingua barbara Hermes, quoniam is primum constituit scholas, in quibus scientias a protoplasto ejusque filio Seth sibi traditas docuit; ipse inventor literarum & mathematicarum artium. Is tradidit leges & bene vivendi disciplinam, cultumque divinum, ideo abstulit eum dominus, & ambulavit cum Deo in horto Eden. Hinc factum, ut omnes, qui scientiis & secretiorum artium notitia ex posterioribus in mundo clarerent, Adris, hoc est, rerum occultarum scriptores dicerentur. — *Quæ omnia conveniunt cum Arabum traditionibus; Nam & hi primum Hermetem Henoch fuisse volunt. Ita Achmed Ben Ioseph Altiphasi apud Gelaldinum in historia rerum Aegypticarum MS. (primum Arabica)* Successit Mehaliel filius ejus & Irad, & dedit ea præcepta bona, & docuit eum omnes scientias & celebravit ipsum, famosumque reddit in peritia scientiæ inspectionis astrorum, & in libris quos deduxit super eum Adam, & genuit Irad Hanuch, ipse est Hermes, ipse Idris Propheta, super eum pax; & fuit rex in diebus illis Mohhuel, filius Hanuch, cui pater bonam instructionem dedit, & scien-

„tias,quas apud ſe, ipſi tradidit, & genuit eum in Aegy-
„pto(ante diluvium) & egreſſus eſt inde, & peragravit
„totam terram,fuit autem ei Sabæorum regio. Ipſe ad-
„hæſit Deo, docuitque eum purificationes, orationes,
„jejunia & alia hujuſmodi cultus divini ſigna,& fuit pe-
„ritus in inſpectione aſtrorum,& in geometria, & divi-
„nis ſcientiis, fuitque primus, qui de hiſce diſſeruit,eas-
„que de potentia in actum eduxit, ſcripſitque de iis li-
„brum,in quo ſignavit doctrinam eorum,deinde profe-
„ctus eſt in Aethiopiam & Nubiam &c. Quæ ideo integra hic inſerere volui, ut tanto evidentius appareat, quam late dimanarit per omnes orientis nationes, in quorum terris natæ & geſtæ res patriarcharum ſunt, quæque propterea eo clariora earum ac plura, quam cæteræ,monumenta retinere potuerunt,de hujus & aliorum eruditione ac libris fama. Quam ne quis vivæ ſolummodo vocis commercio ad poſteros propagatam opinetur,jam olim de iiſdem gentibus, Aegyptiis puta,Phœnicibus atque Chaldæis,Fl. Joſephus teſtatus eſt[i]: *καὶ πολλὴν ἐποιήσαντο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ἄμνηστον τῶν παρ' αὐτοῖς πραττομένων παραλιπεῖν. ἀλλ' ἐν δημοσίαις ἀναγραφαῖς ὑπὸ τῶν σοφωτάτων ἀεὶ καθιεροῦσθαι.* *Multam,*inquit,*providentiam habuere, ut nihil eorum, quæ apud ipſos aguntur, ſine memoria relinqueretur, ſed in actis publicis ſemper à viris prudentiſſimis dicaretur.*Et paulo poſt,[k] apud Aegyptios & Babylonios *ἐκ μακροτάτων ἄνωθεν χρόνων τὴν περὶ τὰς ἀναγραφὰς ἐπιμέλειαν, ex longiſſimis temporibus circa conſcriptiones diligentiam* fuiſ-

[i] Lib. contra Apionem. pag. 1034.

[k] pag.ſeq.

fuisse ait, quod *sacerdotibus apud Aegyptios & Chaldæis apud Babylono*, id muneris esset injunctum. A quibus quin mutuati deinceps sint, quotquot de prima rerum creatione, de diluvio, aliisque arcanis sanctæ religionis literis consona tradidere, non inficiandum est; cum & *Plato* in *Timæo* sacerdotem quendam Aegyptium Soloni ex sacris illorum libris inducat referentem, ante particularia diluvia Græcis nota & celebrata, fuisse antiquitus maximam quandam inundationem, terræque vastationem: & non hic tantum, sed quicunque ferme in Græcia sapuerunt, in Aegyptum navigarint, & cum illius sacerdotibus contulerint; bibliothecas etiam atque *ἀρχεῖα* ipsorum excusserint: ne dicam, à Phœnicibus quoque, quorum vetustissima cum Græcis commercia, haud pauciora illos didicisse.

Quog si vero extiterunt tot veterum antediluvianorum manu exarata monumenta, velut non vulgarium auctorum testimoniis abunde firmavimus: cui jam, quæso, amplius dubium videri queat, num etiam fuerint, qui studiose ista illis temporibus collegerint, atq; inde bibliothecas exstruendo, quavis re pretiosissima cariores habuerint, etiamsi nullos eorum in divinis literis videamus memoratos, vel etiam ad postdiluvianos mortales, saltem incorruptos, derivatos, nisi affirmare una forte collibitum fuerit, non plura dixisse, egisse, docuisse, tam Adamum, quam reliquos patriarchas, cum, qui deinceps subsecuti sunt, judicibus ac regibus, quam sacris illis pandectis continetur; cum illi ipsi tamen

men manu quaſi ducant lectorem ſuum ad alia SS. patrum & prophetarum ſcripta, jamdudum itidem (ſicut magna, omnibus ſeculis facta ſunt veterum ſcriptorum naufragia) ex hominum oculis ſublata; ita ſanctiſſimo numine pia ac ſancta brevitate omnia temperante, ut quæ ex tanta rerum, doctrinæ, beneficiorum, prodigiorum ac miraculorum in populo Dei amplitudine viri θεόπνευστοι excerperent, potius *ad religionis* quam *cognitionis*, uti proxime B. Auguſtinum loquentem audivimus, ubertatem pertinerent. Indubitanter alias *vel una Adami & Hevæ hiſtoria, ſi dicta eorum ſingula, labores, pericula, mirandæ in periculis liberationes, ſecundum omnes circumſtantias fuiſſent enarranda, omnem ſcriptionem, quantumvis expediti, eruditi & diſerti ſcriptoris, fuiſſet ſuperatura*, ut non male vir doctus cenſuit.[l]

l Mich. Neander, præfat. in Apocryphæ edit. Baſil. 1567.

Scripſiſſe vero principes illos mundi incolas res illius temporis, atque inventa in pellibus, ſaxis, lateribus & plumbo vidimus: Deo abſque dubio, quod primum genus attinet, uti veſtimentorum inde conficiendorum, ſic & ſcriptionis in iiſdem, uſum Adamo præmonſtrante. Procul enim vero eſt, quod *æmulatione circa bibliothecas regum Ptolomæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolomæo, membranæ Pergami primum ſint repertæ*; quemadmodum ex M. Varrone naturali ſuæ hiſtoriæ inſeruit Plinius:[m] cum proverbium vetus, Αρχαιότερα διφθέρας. Diogeniani[n] & Suidæ annotamentis inſperſum, ἐπὶ τῶν παλαιὰ λεγόντων, *de ijs qui antiqua dicunt*, longe aliud ſuadeat: ac Herodotus[o] in Terpſichore ſcri-

m lib. 13. c. xi
n Diogen. III. num. 2.
o Lib. V. cap. 58.

ſcribat, *priſca conſuetudine* τὰς βίβλους. *ſcirpos* non nemo, alius *chartas* explicat) *Iones appellaſſe* διφθέρας, *quod aliquando penuria* τῶν βίβλων, *pellibus caprinis ovillisque fuerint uſi; ad ſuam etiam usque memoriam multi barbarorum talibus in pellibus ſcripſerint.* Ad quæ & Julius Pollux reſpexit, inquiens[p] Ἡρόδοτος τοὺς Ἴωνάς φησι τὰς βίβλους διφθέρας λέγειν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ. *Herodotus, tradit, Iones biblos diphteras appellare à more antiquo.* Διφθέραι vero proprie ſunt τὰ δέρματα, ἐξ ὧν αἱ μεμβράναι ἐργάζονται, *pelles, ex quibus membranæ conficiuntur*: quamvis pro *libris* videatur ſumere, tam hic onomaſtici ſcriptor, quam in Laodicena ſynodo congregati patres, ſicut & Zonaræ obſervatum in canonem illius XV. in quo etiam τὸ ἀπὸ διφθέρας ψάλλειν, *de codice canere*, vertit Dionyſius Exiguus. Certe vel foliorum in libris notitionem inde quoq; arceſſit Iſidorus,[q] *quia ex follibus fiant, i. e. ex pellibus: qua de occiſis pecudibus detrahi ſolent*: membranæ voce ab eodem fonte deducta, *quod ex pecudum membris detraherentur.*[r]

[p] Onomaſt. l. 7. cap. 33. pag. 375. edit. Franc. 1608.

[q] Etymol. lib. 6. c. 14.

[r] Ib. cap. II.

De lapidibus vero, ac plumbo, notius eſt, quam ut prolixa probatione egeat. Totam videlicet illis aliquid inſculpendi rationem propterea repertam dixeris, ut pereuntibus elementi alicujus injuria, quæ pellibus alterive rei molliori, ſcriptionis capaci, erant concredita, nihilominus tamen ejus aliquid in materia duriore, & idcirco corruptioni minus obnoxia, ab interitu poſſet vindicari. Prout non aliud habuere argumenti atque rationis, qui ex Sethi poſteris, columnas

jam supra expensas, posterorum utilitati erexerunt,[s] λογισάμενοι, ὅτι εἰ μὲν δι' ὕδατος ὁ κατακλυσμὸς ἡ λιθίνη στήλη μενεῖ, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ γεγλυμμένα· εἰ δὲ διὰ πυρὸς, ἡ πλινθίνη σωθήσεται: *rati si mundus aquarum illuvie immergeretur, lapideam permansuram, & quaecunq; in ea exsculpta erant: si conflagraret incendio, lateritiam evasuram.* Cujusmodi[t] *coctilibus laterculis Babylonios postea observationes siderum inscriptas habuisse*, docuit *gravis in primis auctor Epigenes:* atque illi αἰνιγμάτων τεχνῖται Hieroglyphi,[u] τοῖς ὀβελοῖς γραφὰς ἐνορύττοντες, *obeliscis literas incidentes, ac figuris rerum naturas efformantes, abstrusam quandam scientiam sapientioribus ingesserunt.* Qualia item *eximiae magnitudinis saxa in aquilonaribus regionibus inventa, & literarum formis insculpta*, Iohannes Magnus Vpsalensis archiepiscopus, adstipulante ipsi Olao fratre in Historia gentium septentrionalium,[x] *persuadere* posse existimat, *quod ante universale diluvium, vel paulo post, gigantea virtute ibi fuerint erecta.* Quid vero aliud hæ lapidum literatæ strues fuere, quam BIBLIOTHECAE PVBLICAE, à sapientissimis majoribus in id unice exstructæ, atque omnium oculis animisq; expositæ, quo eas, tanquam mutos magistros, qui vellent, accedere, atque de gravissimis quibusq; rebus, quæ in disputationem venirent, pro lubitu consulere possent? Nam plumbeas, vel alterius metalli, laminas ad privatum etiam usum tum adhibitas, Chamus nobis documentum præbet, ceu & de voluminibus sive libris ex pellibus conjici nullo negotio potest; quibus nemo facile,

[s] Joel in chronogr. pag. 50.

[t] Apud Plin. lib. 7. hist. cap. 56.

[u] Cyrillus Alex. lib. 9. contra Iul. p. 299.

[x] lib. 1. c. 36. & lib. 2 c. 32.

cile, credo, *librorum appellationem* detraxerit, quando quidem & Vlpianus [y] *ea contineri* pronunciavit *omnia volumina, sive in charta sive in membrana, sive in quavis alia materia. Sed & si in philura, aut in tilia, aut in quo alio corio.* Neque enim nos vel βιβλία, vel *libros*, adeoq; nec bibliothecas proprie loquendo haberemus, si utraque ex materia vellemus metiri, quæ rei imposuit nomen: cum βίβλος [z] κυρίως *papyrum* notet, non quali nos hodie utimur ex linteolis concerptis & aqua maceratis, ac postea in lanuginem contritis; sed qualem Aegyptus, non tamen sola, proferebat, ex qua *chartæ* non unius generis contexebantur: De qua peculiari tractatu egit *Melchior Gvilandinus*,[a] & hunc multis locis redarguens CL. *Salmasius*, [b] tum *Gvidus Pancirolla*, [c] ac in eum, *Henricus Salmuth*, aliique: *Liber* quoque *interior tunica corticis sit, quæ ligno adhæret, in qua antiqui scribebant; unde scriptores librarii dicti.* [d]

Quæ quidem, ut ut explicate magis, atque abundantius dici queant, tamen finem hîc opellæ meæ faciam, ne tua, SERENISSIME DOMINE, clementia abuti, atque ea docere velle videar, quæ tot excellentes doctores in amplissima palatii tui bibliotheca longe eruditius possunt subministrare. Scilicet hac quoque in parte SERENISSIMI AC VERE AVGVSTI PATRIS vestigia calcans, verissimum vivo exemplo illud poëtæ declaras; [e] *fortes creantur fortibus & bonis*: sive ut idem ante ipsum philosophus [f] scripsit: ἀγαθοὶ δ' ἐγένοντο, διὰ τὸ εἶναι ἐξ ἀγαθῶν, *boni autem fuerunt,* quia

y L. 52. ff. Legatis de lib. 1.

z Vide CL. Voss. lib. 1. de art. Gram. cap. 37.

a Edit. Venet. 1575.

b Notis ad Vopisc. p. 443. & seq.

c tit. XIII. In Nov. repertis

d Isidor. lib. 6. Etymol. cap. 13. Hierom epist. 42. tom. 1.

e Horat. lib. 4. od. 4.

f Plato orat. funebri.

quia ex bonis nati sunt. Quam enim SAPIENTISSIMVS PARENS jam inde ab infantia studia ac literas, earumque cultores amaverit, eodemque sibi æternam laudem paraverit, ac quotidie paret: quam isto fine adornaverit ad miraculum usque divitem maxima cum liberalitate bibliothecam, quæ, ut etiam à Cassiodoro quædam mutuer, [g] *defectum inter mortalia nesciens, annua* (imò quotidiana) *cumulatione semper augescit, nova jugiter accipiens, vetusta custodiens:* notius est, quam ut mea prædicatione indigeat. Quippe cum de ipsa illa MAXIME AVGVSTA BIBLIOTHECA, atque AVGVSTO IPSIVS DOMINO, nihil verius dici possit, quam quod de Constantinopolitana quondam, juxta templum τῆς τοῦ Θεοῦ Σοφίας, Constantinus Manasses, vertente Leunclavio, retulit: [h] *Non procul à divinæ Sapientiæ fano* (hîc à SER^MI PRINCIPIS arce) *splendida domus erat exstructa, quam nuncupare licuisset amœnum hortum, arboribus libros ferentibus plenum, adeoque lucum pulcerrimis omnigenæ doctrinæ sapientiæque plantis consitum. Nam erat in ea congestus librorum thesaurus, quorum numerus tricena & tria complectebatur millia. Talis hortus, tantusque lucus DIVINI cujusdam HOMINIS curæ fideique commendatus erat, qui doctrina præstabat, & supra cæteros omnes radiis scientiæ collucebat. Non inepte dixeris ALIVM quendam ADAMVM, divinum curatorem arborum, de pulcbris Edenis arboribus delicias capientem, ejusque plantarum non marcescentium agricolam.* Narrat Zonaras, [i] quod, cum Scythæ aliquando Athenas cepissent, atque ibi-

g Lib. XI. Var. pag. 393. edit. Genev. 1650

h Græca vide pag. 164. edit. Lugd. Bat. 1616. latina p. 422.

i Añal. tom. 2. pag. 239.

ibidem omnes libros in unum acervum *congestos crematuri essent, unus ex cordatioribus, populares suos à proposito revocaverit*, φάμενος, ὥσπερ ταῦτα οἱ ἕλληνες ἀσχολούμενοι, πολεμικῶν ἀμελοῦσιν ἔργων, καὶ οὕτως ἐγχείρωτοι γίνονται· *quod Græci, dum iis rebus occupati, rem militarem negligerent facile superari possent*. Vester longe alius, (utpote studiis illustribus) est de literis sensus, ut quos non præterit Alphonsi illud:[k] *Ex libris & arma, & armorum jura, addisci*; atque insuper illa Demetrii ad Ptolomæum regem cohortatio, *ut libros de regno scriptos emeret ac legeret*: ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαῤῥοῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. *De quibus amici reges admonere non auderent, ea in libris scripta esse*.[l] Deus, qui SERENITATIBVS VESTRIS, maximo ecclesiæ ac reipubl. bono, indidit hanc mentem, eandem, atque una benignissimum illum erga literatos affectum, in vobis conservet. Neque tum post multa secula defuturi sunt, qui de IISDEM æternitati commendent, quod fortunæ ac virtuti Magni Alexandri, gravissimus ille principum censor Plutarchus, cum multos præstantes viros ipsi coævos fuisse dixisset, longe post excessum illius attribuit:[m] *Existimo autem eos, qui tum fuerunt, artifices, non tam ætate Alexandri, quam propter Alexandrum, extitisse. Vt enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit; ita artium & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor, & humanitas regis efficit; & contra Principum invidia ac illiberalitas ista omnia extinguit & perdit*.

[k] Erasm. Rot in adag. pag. 921. edit. Col 1596.

[l] Stobæus Ser. de regno pag. 486. edit. Franc. 1587.

[m] Tom. II. pag. 333. edit. Franc. 1610.

 Vel,

Vel, quomodo optimi Imp. M. Antonini philosophi hac in parte, laudem ad sempiternam memoriam propagavit, elegans cum primis Scriptor Herodia-
[n] lib. 1. c. 2. pag. 5. nus:[n] Μόνος τε βασιλέων φιλοσοφίαν οὐ λόγοις, οὐδὲ δογμάτων γνώσεσι, σεμνῷ δ' ἤθει καὶ βίῳ σώφρονι ἐπιςώσατο. πολύ τε πλῆθος ἀνδρῶν σοφῶν ἤνεγκεν ἡ τῶν ἐκείνου καιρῶν φορά. φιλεῖ γάρ πως ἀεὶ τὸ ὑπήκοον ζήλῳ τῆς τοῦ ἄρχοντος γνώμης βιοῦν. *Solusque Imperatorum sapientiæ studium non verbis, aut decretorum scientia, sed gravitate morum, vitaque continentia sancivit. Quo factum est, ut magnum sapientum virorum proventum ætas illa extulerit. Solent enim semper homines vitam principis æmulari.* Scribebam Scheningæ anno á nato Christo cIↃ IↃ cLXVI, ipso die Venerabilis BEDAE: de quo, si vera sunt, quæ in *codice* quodam MSto *chronici Engelhusiani* leguntur, non possumus non incunabula illius commemorando renovare, atque patriæ nostræ de tam illustri cive gratulari. Sed ipsa auctoris verba sunt: *Obiit Beda anno Domini 735. de quo Tidericus Longus de Eimbeke fecit hos versus:*

Beda Deogratus, venerabilis atque beatus,
Hic Saxo natus fuit & est canonizatus.
Sed conversatus Anglis, & ibi tumulatus.

Fuit enim natus in villa Dencke / *juxta* Asseborg / *prope* Brunswyk.

ISIDORUS HISPALENSIS LIB. VI. ORIG. CAP. III. ET SEQQ.

DE BIBLIOTHECIS.

Bibliotheca à Græco nomen accepit, eo quod ibi recondantur libri. Nam Bibliotheca *librorum repositio* interpretatur. Bibliothecam Veteris Testamenti *Esdras* Scriba, post incensam legem à Chaldæis, dum Judæi regressi fuissent in Hierusalem, divino afflatus Spiritu reparavit, cunctaque legis ac Prophetarum volumina, quæ fuerunt à gentibus corrupta, correxit, totumque Vetus Testamentum, in viginti duos libros constituit, ut tot libri essent in lege, quot & literæ habebantur. Apud Græcos autem Bibliothecam primus instituisse *Pisistratus* creditur Atheniensium tyrannus; quam deinceps ab Atheniensibus auctam, *Xerxes* incensis Athenis evexit in Persas, longoque post tempore *Seleucus Nicanor* rursus in Græciam retulit. Hinc studium regibus urbibusque cæteris natum est comparandi volumina diversarum gentium, & per interpretes in Græcam linguam vertendi. Dehinc *Magnus Alexander* vel successores ejus, instruendis omnium librorum Bibliothecis animum intenderunt: maxime *Ptolomæus* cognomento *Philadelphus*, omnis literaturæ sagacissimus, cum studio Bibliothecarum Pisistratum æmularetur, non solum gentium scripturas, sed etiam & divinas literas in biblio-

Ne hæc pagella esset vacua, placuit etiam hoc ex Isidoro exceptum præmittere.

bibliothecam ſuam contulit. *Nam ſeptuaginta millia librorum* hujus temporibus Alexandriæ inventa ſunt. Hic etiam ab Eleazaro Pontifice petens ſcripturas Veteris Teſtamenti, in Græcam vocem ex Hebraica lingua per LXX interpretes transferre curavit, quos in Alexandrina Bibliotheca habuit. *Romæ* primus librorum copiam advexit *AEmilius Paulus*, Perſe Macedonum rege devicto: deinde *Lucullus* è Pontica præda. Poſt hos *Cæſar* dedit M. Varroni negotium causâ maxime Bibliothecæ conſtruendæ. Primum autem Romæ bibliothecas publicavit *Pollio*, Græcas ſimul atque Latinas, additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentisſimum inſtruxerat. Apud nos quoque *Pamphilus Martyr*, cujus vitam Euſebius Cæſarienſis conſcripſit, Piſiſtratum in ſacræ Bibliothecæ ſtudio primus adæquare contendit. Hic enim in Bibliotheca ſua prope XXX voluminum millia habuit. *Hieronymus* quoque atque *Gennadius* Eccleſiaſticos Scriptores toto orbe quærentes ordine proſecuti ſunt, eorumque ſtudia in uno voluminis indiculo comprehenderunt.

JVSTI

JVSTI LIPSII

DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA

AD

Illustrissimum & Excellentissimum Principem

CAROLVM

Ducem Croiium & Arschotanum,

CAPVT I.

Bibliotheca, & Libraria, quid? Reges veteres habuisse, atque illos Ægypti.

Bibliotheca tria significat, *locum*, *armarium*, *libros*. Græca vox Latinis in usum etiam venit, & quamquam *librariam* dicunt, tamen magis est eâ voce tabernam capi, in quâ venales libri exstant. Sed bibliothecarum res vetus, &, nisi fallor, cum ipsis litteris adinuenta. Nam simul ac scire & sapere natum est, mox etiam scribere: & istud esse cum fructu non potuit, nisi ut libri adservarentur & disponerentur, ad præsentium & posterorum usum. Privata primùm ea cura, & quisque sibi suisque struebat: postmodum reges & dyna-

dynastæ usurparunt, nec in usum solum, sed ambitionem aut splendorem. Sanè multos congerere, vix fuit privati hominis aut census: cùm tarda & impendiosa descriptio esset: donec utilissima hæc typographia rem in compendium misit. Qui primus regum illustrem habuit (quod memoria servet) is fuit Osymanduas, Aegypti, qui inter alia operum præclara, *sacram bibliothecam struxit, & in ejus fronte præscripsit*, ψυχῆς ἰατρεῖον: ANIMI MEDICA OFFICINA. Ita Diodorus (*lib. 1.*) & quamquam ille inter veteres regum fuerit, non tamen dubito exemplum, si non ipsam rem, mansisse, & in Aegypto bibliothecas semper aliquas exinde exstitisse: idque in templis præcipuè, & sacerdotum curâ. Multa argumento, tum & illud de Homero: quem Naucratas quidam (*Eust. in præfat. Odyss.*) plagij accusat, & in Aegyptum cum venisset, libros repperisse *Phantasiæ* fœminæ, quæ Iliadam atque Vlyssam scripserit, & *Memphi in templo deposuerit Vulcani*. Homerum igitur vidisse, sibi adscripsisse, & edidisse. Quæ in viro, opinor, falsa, rem tamen & morem firmant.

CAP. II.

Alexandrina Bibliotheca, cui Philadelphus primus & præcipuus auctor. Varietas & numerus ibi librorum, Combusta, & iterum instaurata.

SED reliquæ ibi in obscuro sunt, *Ptolomæi Philadelphi* regis in magnâ luce & laude fuit. Is *Ptolomæi Lagi* filius, secundus eo nomine & stirpe Aegypti regum: artium & ingeniorum cultor, & quod adhæret,, librorum. Itaque Alexandriæ ingentem bibliothecam composuit: instructione & exemplo Aristotelis adjutus, imò ipsis ejus libris. Nam Aristoteles, ut pòst dicam, copiâ & dilectu insignem bibliothecam adornaverat, de qua Strabo: (*Lib. 1.*) Ἀριστοτέλης πρῶτος, ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης συντα-

συντάξιν: *Aristoteles primus, quos norimus, collector librorum fuit, & reges in Aegypto docuit bibliothecæ structuram.* Quæ tamen cautè & cum sua interpretatione legenda: nec enim vel *primus omnino* fuit; & certè ævo anterior, docere *Philadelphum* hunc non potuit, nisi, ut dixi, exemplo. Hoc fortasse verum, quod Athenæo (*lib. 1.*) scriptum: *Aristotelem, Theophrasto libros reliquisse, hunc Neleo: à quo eos mercatus Ptolomæus, cum iis, quos Athenis & Rhodi cöemerat, omnes in pulchram Alexandriam transferri curavit.* Etsi alii tamen dissentiunt, ut in loco dicam. Sed bibliothecam igitur ille undique, & omne genus libris, instruxit: etiam sacris, & è Judæa petitis. Nam cum aures ejus fama tetigisset Hebrææ sapientiæ, misit qui libros deposcerent, & idoneos simul homines conduxit, qui in Græcam linguam verterent, communi omnium usui. Ea interpretatio est, quam *Septuaginta*, à numero scilicet qui operam dederunt, dicunt. Id evenisse anno ejus regni XVII. Epiphanius tradidit, (*de ponder. & mensur.*) olympiade CXXVII. Præerat bibliothecæ, vir scriptis & factis illustris, Demetrius Phalereus, exsul â suis Athenis: & quem rex benigne habitum ad hæc & majora ministeria admovit. Idemque à Caldæis, Aegyptiis, Romanis etiam libros petivit, & pariter in linguam Græcam transfundi curavit. De quibus Georgium Cedrenum capio: (*lib. XXII.*) *Philadelphus libros sacros, Chaldaicos, Aegyptios, & Romanos, aliosq; diversilingues in Græcam omnes converti curavit, in universum ad centum millia voluminum: quæ omnia in bibliothecis suis Alexandriæ reposuit.* Duo noto, & curam peregrinos libros vertendi, utilem meo animo, & vobis principibus etiam nunc usurpandam: & numerum librorum, grandem satis, sed non pro vero, si de universis capiamus. Quod abnuo, & Cedreni mentem de conversis tantum esse arbitror: atque ipsos primogenios Græcos, longe superasse. Hoc alii scriptores dixerint, qui

valde adaugent. Ut Seneca noster: (*de Tranquil. cap. IX.*) *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Sane pulcherimum, & supra gemmas omnes vel aurum: sed quanto pulchrius, si uberius? Nam nec is Senecæ numerus ex vero satis, & ad *septingenta millia* redigendus. Josephus doceat, qui (*XII. Antiq. cap. 1. & Euseb. de præpar. lib. IIX. ex Aristea*) tradit *Demetrium* (illum præfectum, de quo dixi) *aliquando interrogatum à Philadelpho, quot millia librorum jam haberet? respondisse, ducenta millia admodum, sed sperare brevi ad quingenta.* Vides, quam auxerit: sed quanto magis postea, atque etiam alii Reges? Profecto ad *septingenta millia* venerunt, Agellio disertim scribente: (*lib. VI. c. ult.*) *ingens numerus librorum in Aegypto à Ptolomæis regibus vel conquisitus* (emptione) *vel confectus* (descriptione) *est, ad millia fermè voluminum septingenta.* Idem Ammianus, verbis statim dandis: idem Isidorus, sed emendandus: *septuaginta millia librorum Alexandriæ, Philadelphi temporibus, inventa sunt.* Scribendum, inquam, *septingenta.* O thesaurum, sed in re æterna non æternum! Nam totum hoc, quicquid fuit librorum, bello civili Pompejano periit, cum Cæsar in ipsa urbe Alexandria bellum cum incolis gereret, & tuitionis suæ caussa ignem in naves misisset; qui & vicina navalibus, ipsamque bibliothecam comprehendit & absumpsit. Triste fatum, & Cæsari (etsi absque destinata culpa) pudendum! itaque nec ipse in tertio Civilium, nec Hirtius deinde meminere: alii tamen: ut Plutarchus, Dio, etiam Livius, uti ex Seneca facile est haurire. Nam post superiora illa verba, addit: *Alius laudaverit, ut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse.* Sunt ipsa Livii verba, ubi de hoc incendio: & justo elogio in rem & reges. Sed de hoc tristi igne etiam Ammianus: (*lib. XI.*) *Inter templa eminet Serapeum, in quo bibliothecæ fuerunt inæstimabiles; & loquitur monumentorum veterum concinens fides, septingenta volu-*

voluminum millia, Ptolomæis regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino, dum diripitur civitas, sub dictatore Cæsare conflagrasse. Ipse in direptione evenisse vult: itemque Agellius. (*lib VI.*) *Ea omnia volumina*, inquit, *bello priore Alexandrino* (ad discrimen ejus, quo sub Antonio) *dum diripitur civitas, non sponte neque opera consulta, sed à militibus forte auxiliariis incensa sunt.* Excusat vero ipse non Cæsarem tantum (quo quid librorum aut ingeniorum amantius?) sed Romanos milites, & culpam hanc ad exteros auxiliares ablegat. Ceterum de direptione, non ita Plutarchus aut Dio: quos est videre. Hic igitur finis nobilis bibliothecæ, olympiade CLXXXIII. cum vix CCXXIV. annos fuisset. Etsi revixit tamen, non eadem (qui id potuit?) sed consimilis, & eodem loci, id est in Serapéo, collocanda. Auctor reparandi Cleopatra, illa amoribus Antonii famosa: quæ ab eo in auspicium & velut fundamentum operis impetravit bibliothecam *Attalicam* sive Pergamenam. Itaque totam cum dono cepisset, & transferri curasset, iterum adornata auctaque est, & christianorum etiam temporibus, in vita & fama fuit. Tertullianus: (*Apolog. cap. XVIII.*) *Hodie, apud Serapéum, Ptolomæi bibliothecæ, cum ipsis hebraicis litteris exhibentur.* Nota, apud Serapeum iterum fuisse, id est in ejus porticibus: atque id vicinum portui & navalibus, ex Strabone aliisque discas. Nota, & *Ptolomæi bibliothecas* dici: etsi revera non illæ jam essent, sed consimiles, & primogenii illi Hebraici libri, unaque LXX. interpretatio, flamma periissent. Tamen ecce, tanta auctoritas & fides ab antiquo ejus bibliothecæ, ut Tertullianus gentiles eò advocet aut amandet. Credo stetisse quamdiu ipsum Serapéum, immensæ molis & stupendi artificii templum: quod christiani denique, Theodosii majoris imperio, ut arcem superstitionis, demoliti a fundo sunt, ecclesiasticis scriptoribus

 traditum

traditum & laudatum. (*Ruffin. II. cap. XXIII.*) *itemq; Socrates, & Sozomen. alii.*

CAP. III.

Græcæ bibliothecæ, Pisistrati & Aristotelis præcipuæ, itemque Byzantina.

ATQVE ista de Aegypti Bibliothecis repperi, pauca & parva fortasse de multis & magnis. Sed ævum scilicet absorpsit: quod & in *Græciæ bibliothecis* liceat accusare. De quibus nobilioribus, strictim Athenæus (*lib. 1.*) ubi *Laurentium* suum ita in hoc studio parandorum librorum dilaudat, ut dicat eum, *Polycratem Samium, Pisistratum tyrannum, Euclidem Atheniensem, Nicocratem Cyprium, Euripidem poëtam, Aristotelem philosophum superasse.* Et de omnibus istis singillatim non habeo dicere: nisi *Pisistrato*, cui & laudem primi auctoris in hoc studio Agellius adscripsit. Et sane *Polycrates* ævo fere concurrit. Sed Agellii verba: (*lib. VI.*) *libros Athenis disciplinarum liberalium, publice ad legendum præbendos, primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus.* Magnus vir (odiosum hoc modo cognomen tolle) & cui Homerum etiam digestum & correctum nunquam soluturi debemus. Adeo Critica hæc cura olim principum, imo regum, fuit. Ea bibliotheca ab ipsis deinde Atheniensibus varie aucta, donec spoliavit & avexit Xerxes, Athenarum potitus. Sed eosdem, * (*olymp. CXVII.*) multis post annis, Seleucus Nicanor, Syriæ rex, liberaliter remittendos Athenas curavit, donavitque. Et mansisse deinde ad Sullæ tempora, qui & ipse Athenas cepit, diripuit, afflixit: postea tamen instauratam, juste opinor. quomodo enim mater artium, sine instrumento hoc librorum? Sed de *Euclide*, quod ait Athenæus: hunc Archontem fuisse, inter primos ejus magistratus comperior; nec ultra. De *Aristotele* autem, Strabo magnifice

magnifice in verbis, quæ ſupra dedi: & addidi ex Athenæo, bibliothecam ejus tandem ad Ptolomæos reges veniſſe: etſi Strabo atque alii videantur negare. Nam ille ita: (*lib.XIII.*) *libros Ariſtotelis qui ad Neleum, veniſſent, ad poſteros deinde transmiſſos, ineruditos homines; & qui ſub clavibus eos, ſine uſu ullo habuiſſent. Deniq; ſub terram conditos, à blattis & tineis vitiatos, tandem Apelliconi Tejo magna pecunia addictos fuiſſe. Qui eroſos laceroſq; deſcribi, vulgari, etſi parum bona fide aut judicio curaſſet. Eo autem mortuo, Sullam Athenis potitum, eosdem libros ſuos feciſſe, Romam miſiſſe, ibiq; Tyrannionem Grammaticum iis uſum, atq; (ut fama eſt) intercidiſſe, aut invertiſſe.* Quibus ſimilia aut eadem Plutarchus, in Sulla. Quæ ſi vera, quomodo ad Philadelphum a Neleo venerint, Athenæo ſupra aſſertum? Niſi forte (atque ego arbitror) ipſos quidem Ariſtotelis libros, ab illo, inquam, ſcriptos Neleus tenuerit, poſteriſque transmiſerit, ut peculiarem theſaurum: at reliquam vim alienorum ſcriptorum, vendiderit Philadelpho. Neque memoratu digna alia de Græciæ bibliothecis legere memini: & Romani haud dubie pleraque talia ad ſe transduxerunt, Græciâ jam potiti: niſi placet Byzantinam his accenſere, quæ Principum ævo fuit. Nam Zonaras & Cedrenus tradunt, Baſiliſci imperio, *Bibliothecam ibi conflagraſſe, in qua centum viginti millia librorum eſſent recondita: inter ea Draconis inteſtinum. CXX. pedes longum, cui aureis litteris Homeri Ilias atq; Odyſſea fuerint inſcripta.* Etſi hæc Thraciæ propriæ, non Græciæ attribuenda.

CAP. IV.

Attalica bibliotheca, cui Eumenes auctor. Plinii & Vitruvii aliqua hic forte inconſiderantia. Quanta, & quam diu fuerit.

SIcut & *Attalica* ſive *Pergamena*, Aſiæ: quæ proxima claritate ab illâ Alexandrinâ fuit. Nam Attalici reges, è parvis

é parvis progressi, cum societate opibusque Romanis crevissent: sedem regni *Pergamum* varie, tum & bibliothecis, exornarunt. Eumenem, Attali regis filium, auctorem huic rei Strabo prodidit: (*lib.XIII.*) *Eumenes*, inquit, *urbem instruxit, & donariis ac bibliothecis, uti nunc est, eleganter excoluit.* Et Plin. qui scribit, (*lib.XIII.c.XI.*) *æmulatione circa bibliothecas regum, Ptolomæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolomæo, membranas Pergami, ut Varro auctor est, repertas.* Cui paria Hieronymus, in epistola ad Chromatium, itemque Ælianas tradiderunt: sed *Attalum*, pro *Eumene*, nominantes. Enimvero de neutro horum satis convenit, si tempora examinas: quoniam isti posteriores *Philadelpho*, toto fere seculo, fuerunt. Quomodo igitur, quod Plinius ait, *æmulatio* inter eos? Nisi hoc subvenit, *Ptolomæum* simpliciter nominari: qui alius à Philadelpho esse potuit, & *Ptolomæus Quintus*, cognomento *Epiphanes*, cum Eumene vixit. Atq; ille fortasse (quanquam de insigni ejus studio in bibliothecas nihil proditum) chartam suppressit, invidia, ne alter veterem illam nova sua æquaret. Sed error sive inconspectio clarior in Vitruvio, qui his verbis scripsit: (*lib.VII. initio.*) *reges Attalici, magnis philologiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam Pergami bibliothecam, ad communem delectationem, instituissent: tunc item Ptolomæus, infinito Zelo cupiditatisq; studio incitatus, non minoribus industriis, ad eundem modum, contenderat Alexandriæ comparare.* Quid? ut Attalici reges ante Alexandrinos in hoc studio? ut exemplum ardoremque isti ab iis sumpserint? Imo vero contra fuit, & peregerant jam, cum nec illi cogitarent. Nisi & hic placet de posteriore aliquo *Ptolomæo* adducere & velare. Ceterum bibliotheca hæc nec copia, nec ævo, Alexandrinam æquavit. Nam de utroque isto Plutarchus scribit, (*In M. Antonio*) Antonium III. virum, fascinatum amoribus Cleopatræ χαρίσασθαι μὲν αὐτῇ τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριά-

δες

δες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν: *gratificatum ei bibliothecam Pergami, in qua eſſent ducenta millia ſingularium librorum*, id eſt volumi-num. Hoc enim opinor ἁπλᾶ βιβλία dici, cum in uno volumine plures ſæpe libri: quos non vult in numerum hunc venire. Ergo ea ipſa ſtatim poſt Alexandrinam periit, ſed in ea vixit: an & in loco ſuo revixit? Certe Strabonis ſupra verba ſi attendis, ſignificant: cum ait: *Vti nunc eſt, excoluit*, quando *nunc?* Strabonis ſcribentis, id eſt, Tiberii ævo. Ut appareat, aut revectam ab Auguſto victore eſſe, qui pleraque irrita Antonii fecit; aut certe exſcriptam iterum, & inſtauratam. De quo, præter ſuſpicari, non equidem dicam.

CAP. V.

Romanæ bibliothecæ, privatæ: & prima publica Aſinii Pollionis.

ATque hæ bibliothecæ, quas memoratu dignas apud extereos repperi: veniamus ad Romanas, ſitu & ævo magis propinquas. Satis enim tarda ibi hæc cura aut ſtudium, apud Martis non muſarum proles: etſi, cum bono Deo, hic quoque cultus & elegantia denique invaluit, parvis primo initiis, ut ſolet. Iſidori notatio eſt: *Romam primus librorũ copiam advexit Aemilius Paulus, Perſe Macedonum regem devicto: deinde Lucullus e Pontica præda.* Duos nominat, qui libros advexere, ſed publici uſus aut juris non prorſus fecere. Et de Aemilio, haud ultra legi: de Lucullo, Plutarchus ubertim. *Laudanda ejus impenſa*, inquit, *& ſtudium in libris. Nam & multos, & eleganter ſcriptos, conquiſivit: eosq; ut liberaliter paravit, ita etiam utendos dedit. Patebant enim omnibus bibliothecæ, & in porticus adjectas atque exedras græci præſertim recipiebantur: qui velut ad muſarum ædem eo ventitabant, tempusq; inter ſe jucunde traducebant, ab aliis curis liberi.*

Sæpe & ipse cum iis versabatur, & philologis se immiscebat, ad has porticus & ambulationes veniens. Ex quibus vides, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, velut publicas fuisse has bibliothecas, & quamquam jus mancipiumque sibi retineret, usum tamen eruditis concessisse: quod & benigne vos facere soletis. At vero tertium etiam his duobus licebat addere, Cornelium Sullam, postea dictatorem: qui è græcia Athenisque magnam librorum vim traduxit, & Romæ deposuit ac disposuit: quod, præter Plutarchum, *(*adversus indoctum*) Lucianus etiam scripsit. Tamen his omnibus vere publica bibliotheca nondum structa: quam cogitationem primus magnanimus & magnificus ille Julius Cæsar concepit, ac, nisi fata interpellassent, effecisset. Suetonius de eo. *Destinabat bibliothecas græcas & latinas, quam maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum.* O rem magni animi, atque item consilii! Nam quis in orbe terrarum huic curæ aptior M. illo Varrone, doctissimo inter græcos latinosque? Sed destinavit Cæsar, non perfecit: Augustus, adoptione filius, inter alia ornamenta urbis & imperii, hoc quoque plurifariam adjunxit. Nam eo invitante atque incitante, Asinius Pollio, orator & senator nobilis, (Suetonio narrante) *atrium libertatis exstruxit*, atque in eo bibliothecam publicavit. Isidorus: *Primus Romæ bibliothecas publicavit Pollio, græcas latinasque, additis auctorum imaginibus, in Atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.* De manubiis, inquit: nempe Dalmatarum, quos vicit. Item Plinius: (*lib. XXXIV. cap. II.*) *Asinius Pollio, primus bibliothecam dicando, ingenio hominum rempublicam fecit.* In atrio libertatis fuisse, id est in monte Aventino, ex istis constat: quod tamen instructum aut reparatum ab eo magis dixerim, quam exstructum. Nam jamdiu ante id fuisse, & quidem à Tib. Gracho, patre Grachorum,

chorum, Plutarchus atque alii ſcriptores dicunt. Itaque ipſe refecit, & ad hunc uſum ſplendide concinnavit. De eo Ovidius capiendus: (*III. Triſt. eleg. I.*

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria libertas tangere paſſa ſua eſt.

Non enim viros doctos audio, qui hæc ad λέσχην, ſive conventum poëtarum, ducunt. Palam libellus conqueritur, non receptum ſe in bibliothecam Aſinii, *quæ prima patuit*, ſive publicata eſt, *doctis libris*.

CAP. VI.

Auguſti, Octavia, itemque Palatina. Præfecti & cuſtodes iis.

ATque hæc igitur ſub Auguſto prima publica fuit: duæ mox aliæ, ab ipſo. Prior, *Octavia*: quam ſororis ſuæ memoriæ & nomini dedicavit. De ea Dio Caſſius, in actis anni DCCXXI. (*lib. XLIX.*) *Auguſtus porticus & bibliothecas, â ſororis nomine Octavias dictas, exſtruxit.* Etſi Plutarchus tamen in ipſam Octaviam transſcribere hoc opus videtur: (*In Marcello.*) εἰς δὲ τιμὴν αὐτοῦ (μαρκέλλου) καὶ μνήμην ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκεν, καῖσαρ δὲ θέατρον, ἀνεγράψας μαρκέλλου: *In honorem ac memoriam defuncti Marcelli mater Octavia bibliothecam dedicavit, Cæſar Auguſtus theatrum. Marcelli nomine inſcriptum.* Falli Plutarchum opinor: quia Dionis quidem notatio totis decem annis citerior eſt Marcelli morte. Atque addit, ex *Dalmatarum manubiis* opera ea ſtructa: miro concurſu, ut prima atque altera bibliotheca genti barbaræ debeantur. De hac & Suetonius, in Meliſſo Grammatico: *Cito manumiſſus, Auguſto etiam inſinuatus eſt, quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit.* Nota, in ipſa *porticu* fuiſſe: quomodo? ſuperiore ejus parte, uti arbitror, tuto & decore: cum inferi-

or ambulationi modo esset. De hac Ovidius item sensit: (*III. Trist. eleg. I.*

Altera templa peto, vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Nam & ab hac bibliotheca spretum se libellus queritur: & locum ubi fuerit, designat. Quem? vicinum theatro Marcelli. Nam quod *templa* appellat, nihil est: & *loca* intelligit tantum, publico usui consecrata. Etsi in templis, aut juxta; sæpe fuisse, alia ostendunt: sed hic tale non legi. Altera porro ab eodem Augusto bibliotheca est, *Palatina*, a loco dicta: quia in ipso palatio. Suetonius: (*cap. XXIX.*) *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo haruspices responderant. Addita porticus, cum bibliotheca latina græcaq;*. Id factum anno Urbis DCCXXVI. ut ex Dionis LIII. initio discas. Itaque temporum ordinem in bibliothecis recensendis Ovidius secutus est, cum primo *Asiniam*, tum *Octaviam*, denique istam *Palatinam* sic adnumerat:

Inde timore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quæque viri docto veteres fecere novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis scilicet illis,
Quos suus optaret non genuisse pater:
Quærentem frustra, custos, & sedibus illis
Præpositus, sancto jussit abire loco.

Præter alia, ostendit & *præpositum* sive *custodem* huic loco fuisse: quem Suetonius facit *C. Julium Higinum*. Is in grammaticis celebris, *præfuit*, ut inquit, *Palatinæ bibliothecæ; nec eo secius plurimos docuit*. Imo seorsim *græca* custodem suum habuit,

habuit, & *latina*. In marmore prisco: ANTIOCHVS TI. CLAVDII CAESARIS A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. In alio: C. JVLIVS. FALYX. A. BIBLIOTHECA. GRAECA. PALAT. Et similes alibi inscriptiones. Hujus bibliothecæ meminit & Plinius: (*lib. XXXIV. cap. XXVII.*) *Videmus Apollinem in bibliotheca templi Augusti Thuscanicum, quinquaginta pedum à pollice.* Etsi possis referre etiam ad Vespasiani Augusti Bibliothecam, quæ in Pacis templo fuit. Apertius de Palatina, idem Plinius alibi: (*lib. VII cap. LVIII.*) *Veteres græcas litteras fuisse easdem penè, quæ nunc sunt latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in palatio, dono principum Minervæ dicata, in bibliotheca.* Hanc diutissime Romæ mansisse, inducor credere verbis Jo. Sarisberiensis, qui scribit: (*lib. II. De nug. Cur.*) *Doctorem sanctissimum illum Gregorium, non modo mathesim pepulisse ab aula, sed ut traditur à majoribus, incendio dedisse probatæ lectionis*

Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.

In quibus erant præcipua, quæ cœlestium mentem, & superiorum oracula hominibus videbantur revelare. Notandum.

CAP. VII.

Tiberii, Trajani, Vespasiani, item Capitolina: aliæ ignotæ.

AB Augusto igitur, artium ingeniorumque amantissimo principe, duæ istæ fuerunt. quid ab aliis? aliæ. Videtur enim certamen in hac re principum fuisse, & velut contendisse de palma. Ecce *Tiberius* statim ab Augusto, in ipso palatio etiam struxit, ea parte qua viam sacram spectat. Nam illic Tiberii domum fuisse, curiosi talium hodie autumant: & in domo ejus hæc locatur ab Agellio: (*lib. XIII. cap. XVIII.*) *Cum in domus Tiberianæ bibliotheca sederemus,*

deremus, ego & Apollinaris. A Vopiſco item: (*In Probo.*) qui *uſum ſe ſcribit libris è bibliotheca Vlpia, item ex domo Tiberiana.* Videtur & *Veſpaſianus* deinde ſtruxiſſe, & adjunxiſſe templo Pacis, de qua Agellius. (*lib. XVI. c. VIII.*) *Commentarium L. Aelii, qui Varronis magiſter fuit, ſtudioſe quæſivimus, eumq; in Pacis bibliotheca repertum legimus.* Meminitque & Galenus, De compoſit. medicamentorum. (*lib. I.*) Fuit item à *Trajano* alia, de qua etiam Agellius. (*lib. II. cap. XXVII.*) *Sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani.* Atque eſt eadem, quæ a gentili principis ejus nomine, *Vlpia* paſſim nominatur. Vopiſcus: (*In Aureliano.*) *Hæc ego à gravibus viris comperi, & in Vlpiæ Bibliothecæ libris relegi.* Iterumque: *Etſi his contentus non fueris, lectites græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, cum volueris, miniſtrabit.* Hanc in foro Trajani initio fuiſſe, ubi principis ejus alia opera, facile perſuadeor: ſed ævo mutaſſe, & translatam in collem Viminalem, ad ornandas Diocletiani Thermas, (an ab ipſo Diocletiano?) Vopiſcus inducit. *Uſus ſum*, inquit, *præcipue libris ex bibliotheca Ulpia, ætate mea thermis Diocletianis.* Cum diſerte de *ſua* dicit, oſtendit igitur, alia *ætate* aliter fuiſſe. Reperio & *Capitolinam*, in urbe, de qua Euſebius, in rebus Commodi imperatoris: *In Capitolium fulmen ruit, & magna inſlammatione facta bibliothecam, & vicinas quaſque ædes, concremavit.* Vberius hoc ipſum ita Oroſius: (*lib. VII. cap. XVI.*) *Flagitia regis pœna urbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inſlammatio bibliothecam illam, majorum ſtudio curaque compoſitam, ædesque alias juxta ſitas, rapaci turbine concremavit.* Quis tamen ejus auctor? adſerere haud liceat, divinare libeat, Domitianum fuiſſe. Nam ille, ſervatus olim in Capitolio, templum ibi princeps ſtruxit: quid ſi & hanc bibliothecam? Etſi nemo tradidit, qui nunc exſtant: Suetonius hoc tantum de eo univerſe; (*cap. XX.*) *biblio-*

bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undiq; petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentq;. Ubi observes, etiam tunc illam *Alexandrinam* velut originem & matricem aliarum habitam, & has corruptas ex ea iterum refectas & adornatas. Amplius, principum studio ab interitu vindicatas: quod nisi fuisset, quomodo tam multæ illæ ad P. Victoris, id est Constantini ævum, venissent? Nam ille sic inter singularia urbis notat: *bibliothecæ publicæ, undetriginta. Ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Ulpia.* Heu, quam etiam a memoria perierunt! nam ex illis XXIX. vix septem industria nostra indagare potuit, & nomina saltem ab oblivione vindicare.

CAP. IIX.

Tiburtina, & quædam etiam privatorum uberiores. Habebant in balneis; atq; item in agris.

PLures, inquam, publicas non eruo: non quidem in urbe. Juxta eam, Tiburi, etiam unam. De qua Agellius: (*lib. IX. cap. XIV.*) *Meminimus in Tiburti bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro scriptum.* Iterumq;: (*lib. XIX. cap. V.*) *Promit è bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo instructa satis commode erat.* Hic & alibi de *templis* adnotes, & fere juxta ea aut in illis fuisse. Quidni, sacra illa ingeniorum opera, in locis sacratis? Fortassis autem Hadrianus Imp. illam Tiburc instruxit, quem eo loco & secessu impense delectatum constat, variaque & ampla inædificasse. Etsi mihi certum, aliis municipiis coloniisque bibliothecas sparsas fuisse, æque atque artium istum cultum. Sed & privatim viri divites, usus & famæ causa, sibi pararunt: & nobiles ex iis quasdam. Sicut ille *Epaphroditus Chæroneus*, Grammaticus professione, quem Suidas tradit, *sub Nerone ad Nervam Romæ vixisse: & adsidue libros ementem, usq; ad triginta*

millia

millia collegisse, optimorum quidem & selectorum. Laudo hoc ultimum: nec tam copiam quæri, quam bonitatem, cum delectu. Optarim hunc fuisse, qui Epictetum, apicem veræ philosophiæ, in servis habuerit: & ævum consentit: sed titulus & munus vitæ dissentit, cum iste *grammaticus* fuerit, alter è *custodibus corporum Neronis*, eodem Suida prodente. Sed quisquis iste, superavit eum *Sammonicus Serenus* in hoc studio: qui bibliothecam habuit, *in qua sexaginta duo millia librorum censebantur.* Is moriens eam reliquit *Gordiano minori*, qui gustavit imperium: Capitolino traditum, cum hoc elogio: *Quod Gordianum quidem* AD COELUM TULIT. *Siquidem tantæ bibliothecæ copia & splendore donatus, in famam hominum ore litteratorum decore pervenit.* * (*Legi malim: hominum, literatorum pervenit.*) Vide ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quam hæc cura gratiam famamque pariat, vobis magnis insatiabiliter parandam. Atque hi, aut pauci alii, proditi sunt insigniores bibliothecas habuisse; plures tamen fuere: & Seneca commune hoc studium jam tunc suo ævo ostendit, & damnat. Damnat. quare? *Non enim in studium* inquit, (*de Tranquill. c. IX.*) *sed in spectaculum comparabant, sicut plerisq; ignaris etiam servilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed cænationum ornamenta sunt.* Et mox addit: *apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid orationum historiarumq; est, & tecto tenus exstructa loculamenta. Jam enim inter balnearia & thermas, bibliotheca quoque, ut necessarium domus instrumentum, expolitur.* Male, fateor: & utinam tamen nostri divites sic lasciviant! semper cum alieno aliquo, si non suo, usu & bono. Observare autem hic est de *balneis & thermis* etiam: sicut supra notavimus, illam *Vlpiam* in Diocletiani thermis dicatam. Cur autem ibi? credo, quia corpori curando otiose tunc vacabant: & igitur occasio erat legendi aliquid, hominibus alias occupatis, vel audi-

endi.

endi. Enimvero etiam in villis & prætoriis passim habebant: ab eadem hac, otii & vacationis ibi, caussa. Ad quem morem Pauli JCti responsum dirigitur: *Fundo legato libros quoque & bibliothecas, quæ in eodem fundo sunt, legato contineri.* Plinius, de sua villa: (*lib. epist. XVII.*) *Parieti, in bibliothecæ speciem, armarium inseritur.* Martialis, alterius cujusdam Julii Martialis, villaticam bibliothecam commendat: (*lib. VII.*)

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam unde videt lector urbem,
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi misimus libellos.

CAP. IX.

Ornatus bibliothecarum, ebore & vitro. Armaria, & foruli, & plutei, & cunei.

PEregi de bibliothecis: & produxi, quas ævum quidem non subduxit. Ut rem dicam, paucas è multis: & *stillicidium de situla*, veteri verbo: tamen vel hæc satis ad stimulum, & exemplum. An & addam aliquid de ornatu earum sive instructo? fiat. In Isidoro lego: *Peritiores architectos neque aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putasse: neque pavimenta alia, quam è Carystio marmore, quod auri fulgor hebetet, & Carystii viriditas, reficiat oculos.* Bono hoc judicio iste, sive à quo hausit. Nam de fulgore, certum est & mihi compertum, intentioni & stilo officere: sicut de virore, liquet oculis recreandis esse. Boëtius hoc amplius in consolatione suggerit: *comptos ebore & vitro parietes fuisse.* Quomodo ebore? *Armaria* sive *loculi*, fuerint eburna. Luxus an elegantia veterum ita habuit: & in legum libris hodieque legimus: (*lib. III. §. sed si biblioth. De legat. III.*)

III.) *bibliotheca alias locum significat, alias armarium, sicut cum dicimus, eboream bibliothecam emit.* Armaria igitur ex ebore: sed *vitrum* cui rei? Opinor, ipsa armaria antrorsus & in fronte clausa vitro fuisse: ut & à sordibus libri immunes præstarentur, & tamen nobiles ac conspicui per vitrum adventoribus essent. Nos etiam in armariis quibusdam, ubi sacra aut eorum reliquiæ, usurpamus. Armaria autem fuisse in bibliothecis, res & hodierna usio demonstrant: sed addo, numeris suis distincta. Ita Vopiscus: *Habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum.* Elephantinum, an ex ebore, an in corio elephanti perscriptum? Vetus scholiastes Juvenalis, in illud: *Hic libros dabit & forulos.*) *Armaria*, inquit, *bibliothecam.* Et proprie, opinor, *foruli*, ipsi *nidi*, ut cum Martiale dicam, librorum, sive cum Seneca, distincta *loculamenta.* Sidonius & hæc & alia in bibliothecis collocat: (*lib. II. epist. IX.*) *Hic libri affatim in promptu, videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria exstructa bibliopolarum.* *Pluteos*, id est tabulas inclinatas transversim, quibus libri legendi imponerentur: *cuneos*, scamnorum seriem, ut in Atheneo, sic digesta: *armaria* autem plena & alta, quæ dixi. Ea *pegmata* Cicero ad Atticum (*lib. I.*) videtur appellasse.

CAP. X.

Imagines in iis doctorum, laudabili more: cui origo ab Asinio.

SEd vel præcipuus ornatus, & imitandus, meo judicio, nondum hodie imitatus, sunt *imagines* sive & *statuæ* doctorum, quas una cum libris disponebant. Nonne pulchrum, & suave oculis ac cogitationi fuit? Natura trahimur ad simulacra & effigies magnorum virorum noscendas,

ſcendas, & illa corpora, ſive hoſpitia, quibus cœleſtis ſe animus incluſit: ecce hic erat. Homeri, Hippocratis, Ariſtotelis, Pindari, Virgilii, Ciceronis, & alia ſcripta videres aut libares oculis: una etiam imaginem ſcriptoris adjunctam. Iterum repeto, pulchrum: &, te, ILLVSTRISSIME, præëunte, cur non uſurpamus? Romanum hoc inventum videtur: ne omnia bella ad Græciam referantur: & Plinius inclinat. *(lib. XXXV. cap. II.) Nullum majus* (inquit pulcherrima gnoma) *felicitatis ſpecimen arbitror, quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis. Aſinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ & Pergami reges, qui bibliothecas magno certamine inſtituere, non facile dixerim.* Itaque Aſinius videtur auctor. Qui etiam (eodem Plinio prodente) *(lib. VII. c. XXX.)* M. Varronis, *in bibliotheca, quæ prima in urbe* (abſurde in *orbe* alii) *publicata eſt, unius viventis poſuit imaginem.* Quod tamen & aliis poſt ea, indulgentia an judicio, datum video: & nominatim Martiali poëtæ. Qui gloriatur, *(præfat. lib. IX.)* quod *Stertinius imaginem ejus ponere in bibliotheca ſua voluerit.* Sed plerumque mortuorum, & quos famæ conſenſus jam ſacraſſet. Plinius: *lib. XXXV. cap. II.) Non eſt prætereundum & novitium inventum. Siquidem non ſolum ex auro argentove. Aut certe ex ære, in bibliothecis dicantur illi, quorum* immortales animæ *in iiſdem locis loquuntur; quinimo etiam quæ non ſunt, finguntur, pariuntq́; deſideria non traditi vultus.* Appellat *novitium*, id eſt Pollionis *inventum*. Oſtendit mortuorum, & e metallo plurimum fuiſſe: ſed addo etiam e gypſo, in privatis (pro cujusque ſcilicet copia) bibliothecis. Juvenalis:

— quamquam plena omnia gypſo
Chriſippi invenias.

Imo & in tabulis, opinor, imagines fuere; & fortasse in librorum fronte pictura etiam expressæ. Seneca: *de Tranquill.) Ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum.* Suetonius in Tiberio: *(cap. LXX.) Scripta eorum & imagines, publicis bibliothecis, inter veteres & receptos auctores, dedicavit.* Plinius in epistolis: *Herennius Severus, vir doctissimus, magni æstimat in biblioteca sua ponere imagines Cornelii Nepotis, & Titi Attici.* Itaque utrumque, & statuæ & imagines fuere. Plinius idem, de Silio Italico; *Plures iisdem in locis villas possidebat, multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum: quas non habebat modo, verum etiam venerabatur. Virgilii ante omnes.* Vopiscus, de Numerario: *Hujus oratio tantum habuisse fertur eloquentiæ, ut illi statua, non quasi cæsari, sed quasi rhetori decerneretur, ponenda in bibliotheca Vlpia, cui subscriptum est:* NVMERIANO. CÆSARI. ORATORI. TEMPORIBVS. SVIS, POTENTISSIMO. Sed & Sidonius sibi ibidem positam, jure gloriatur?

Cum meis poni statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utriusque fixam.
Bibliothecæ.

Significat, & in græca & latina bibliotheca statuam se habuisse.

CAP. XI.

In occasione de museo Alexandrino. Docti viri ibi habiti atq; aliti, in publicum bonum. Reges aut imperatores ei curabant.

ET plura equidem super bibliothecis, quæ ἀξιόλογα (*digna dici.*) sint, non habeo: unum etiam, quod ad earum fructum. Nam si solæ eæ, aut rarus adventor, si homines,

mines, inquam, non ſunt qui frequentent & evolvant: quo iſta congeries? & quid niſi *ſtudioſa quædam luxuria* ſint, ut Seneca appellat? Providerunt hoc quoque Alexandrini reges: & una cum illis *muſeum* (ita dixerunt, quaſi *muſarum ædem*) exſtruxerunt, in quo fas eſſet muſis operari, à ceteris rebus feriatos. Imo & à vitæ victuſque curis vacuos: cum alimenta iis hic è publico darentur. Præclarum inſtitutum! quod unus Strabo optime deſcribit: (*lib. XVII.*) Τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἐστὶ δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινά, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νυνὶ δ' ὑπὸ καίσαρος: *Pars etiam regiæ eſt muſeum, quod ambulationi & ſeſſui loca habet, & magnam unam domum, in qua convivunt & comedunt una, qui muſei conſortes ſunt, litterati viri. Habet autem hoc collegium & pecuniam ſive vectigalia in commune, & ſacerdotem item, qui muſeo præeſt, olim à regibus, nunc à cæſare conſtituendum.* Primum ait, *regiæ* ſive *aulæ partem* fuiſſe. Scilicet adnecti ſibi & jungi voluerunt reges, ut in propinquo & promptu eſſent eruditi iſti, cum quibus differerent, cum libitum, animo docendo, & paſcendo. Habuit *porticus* & *exedras*: illas exercitio corporis magis; has animi, & ubi confidentes altercarentur & conferrent. Fuit & *domus, ubi communis iis victus & menſa*: quod ſic etiam Philoſtratus expreſſit, de Dionyſio: quem in *muſeum receptum* ſcribit, (*In vita Dioniſii Mileſii.*) additque: τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους: *Muſeum autem eſt Aegyptia menſa, quæ convocat omnes in univerſa terra literatos.* Verba penſitari cupio. *Omnes ex omni terra*: & viden' numerum, nec rem tenuem & parvi impendii fuiſſe? Quod & Timon Sillographus indicat, etſi more & inſtituto ſuo carpens:

 πολ-

Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
Βιβλιακοὶ χαρακῖται, ἀπείριτα δηριόωντες,
Μουσέων ἐν ταλάρῳ.

Permulti pascuntur in Aegypto populosa
Pugnantes libris, ac semper digladiantes
Musarum in cavea,

Nam, explicante Athenæo, (*lib.I.*) τὸ μουσεῖον τάλαρόν που φησὶν, ἐπισκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους, ὅτι ὥσπερ ἐν πανάγρῳ τινὶ σιτοῦνται, καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες: *Museum dixit caveam, irridens philosophos, qui in eo alebantur, velut pretiosæ quædam aves.* Iste philosophos nominat, sed Strabo universe ἐλλογίμους ἄνδρας dixit, *litteratos doctosque viros:* & omne genus haut dubie receptum. Sed *viros* ait: non ergo pueros aut juvenes, & qui velut in spem studiorum (hodie solitum) educarentur. Non, quin istud velut præmium eruditis, & quies quædam honesta fuit: haut aliter quam Athenis, bene de rep. meritis victus erat in Prytaneo. Vbi estis PRINCIPES? & quos urit aut excitat honestus æmulandi ignis? Sed pergit Strabo, & *sacerdotem* præficit, regum aut *cæsarum delectu.* Magna igitur dignitas, & quæ ab ipso cæsare conferenda. Sed quid, quod ipsa ibi loca idem cæsar adsignaret? Ita enim Philostratus, de Dionysio Sophista: Αδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν. κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ μουσείῳ σιτουμένοις: *Hadrianus Imp. satrapam sive præfectum eum constituit non exiguarum gentium; & adscripsit inter eos qui publice equo veherentur: itemque qui in museo alerentur.* Iterum, de Polemone: Κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τοῦ μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν αἰγυπτίαν σίτησιν: *Allegit eum* (Hadrianus) *& musei conventui, ad Aegyptiam mensam.* Sed notem ibi vocem κύκλῳ, *circulo* (etsi ego *conventui* reddidi:) qua significari arbitror, in orbem rem ivisse, & quosdam allectos

tempestive, & in antecessum: id est, priusquam locus vacuus etiam esset. Sed spes sustentabat, & ordine succedebant, qui sic adscripti: ut hodie in beneficiorum collatione principes quidam usurpant. Athenæus denique hujus donationis à principe etiam meminit: (*lib. XV.*) ubi ait: *Pancratem quemdam poëtam, ingeniose Hadriano adulatum de Antinoo suo: atque ille, inquit,* ἡσθεὶς τῇ εὑρέσει, τὴν ἐν μουσείῳ σίτησιν αὐτῷ ἔχειν ἐχαρίσατο: *delectatus inventiuncula, cibum in museo illi gratificatus est.* Atque hæc Strabo aliique super loco & instituto: licet addere, non vacuam omnino aut otiosam ibi vitam vixisse (qui possent viri bono publico nati?) sed aut scripsisse, aut disseruisse, & recitasse. Ita Spartianus tradit, *Hadrianum Alexandriæ museo multas quæstiones professoribus proposuisse, aut propositas dissolvisse.* Adde Suetonium, in Claudio: (*cap. XLII.*) qui & museum hoc, altero addito, adauxit: ut certi libri ibi quotannis recitarentur. Desino

DVX ILLVSTRISSIME, & te è magnis, ad omnia magna natum, hortor viam hanc veræ laudis porro insistere, & libris literisque propagandis, æternitati tuum nomen consecrare.

FVL-

II.

FVLVII VRSINI DE BIBLIOTHECIS COMMENTATIO.

BIBLIOTHECAS Romæ multas fuisse, cum græcas, tum latinas, ex veterum scriptorum (quos infra adducam) monumentis intelligere possumus: qui autem iis præpositi erant, dicebantur A BIBLIOTHECIS, forma eadem, qua *à studiis, ab epistolis*, & alia ejusmodi antiquos dixisse observavimus. Prius autem bibliothecas ipsas, quarum mentio apud scriptores extat, colligamus: deinde nomina eorum, qui iis præfuerunt, subjungamus. Romam primus librorum copiam inquit *Isidorus* lib. VI. cap. III. advexit *Aemilius Paulus*, Perse Macedonum rege devicto. *Sylla* quoque multos libros ex Athenis Italiam vexit: *Lucianus* in libro adversus indoctum. *Lucullus* deinde ex Pontica præda, ut idem *Isidorus* scribit. Sed bibliothecæ Luculli meminit his verbis Plutarchus in ejus vita: quæ ut sunt à Leon. Justiniano, in latinum versa, ita proferemus. *Nihil minus tamen diligentiæ ad ea sibi comparanda adhibuit, quæ studioso ac literatissimo homine digna essent. Etenim plurimos pulcherrimosque coegit libros, quorum profecto usus majorem sibi quam ipsa possessio gloriam vindicabat. Studioso enim cuiq; & bibliothecæ, & quæ circa erant scholæ, atque deambulacra libere perpetuoq; patebant, quo se græci, cum per otium licuisset, velut in amœnissimum quoddam musarum diversorium conferre solebant: ibi loquendo, legendo, disputando diem jucunde terebant: & Lucullus ubi plerumque eruditissimos viros disputare vidisset, eo se potissi-*

potissimum ingerebat &c. Bibliothecæ Juliæ meminit Suetonius in Cæsare, scribens *bibliothecas græcas & latinas, quas maxime posset, publicare parabat, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum.* Et Isidorus lib. VI. *Post hos Cæsar dedit M. Varroni negotium maximæ bibliothecæ construendæ.* Asinii Pollionis bibliothecæ facit mentionem Plin. lib. VII. cap. III. his verbis: *M. Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est.* Et lib. XXXV. cap. II. *Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rempublicam fecit.* Isidorus lib. VI. cap. III. *Primus autem Romæ bibliothecas publicavit Pollio, græcas simulatque latinas, additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.* Bibliothecæ Palatinæ, quæ in antiquis inscriptoribus sæpius mominatur, ita meminit Suetonius in Augusto. *Templum Appollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari à Deo aruspices pronuntiarunt. Addita porticus cum bibliotheca latina græcaque: quo loco jam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriasq; judicum recognovit.* &c. Plinius lib. VII. cap. LVIII. *Veteres græcas literas fuisse easdem pene quæ nunc sunt latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in palatio, dono principum Minervæ dicata in bibliotheca.* &c. Et lib. XXXIV. cap. VII. *Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Thuscanium quinquaginta pedum à pollice.* Hujus bibliothecæ meminit Horatius lib. I. epist. III. hoc versu:

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo,

Ovid. lib. III. de Trist. Propert. lib. II. Dion. lib. LIII. Suet. de illustr. grammaticis in Hygino, Galen. lib. I. de comp. med. Servius in VIII. Aen. Acro & Porphyrion. in epist. III, lib. I. Bibliothecæ porticus Octaviæ meminit Plutarch.

in Marcello: eamque ab Octavia Augusti sorore, in honorem Marcelli exstructam fuisse scribit. Dion tamen lib. XLIX â sororis nomine Octavianam bibliothecam appellatam, Augustum extruxisse ex Dalmatum manubiis refert. Ejus autem meminit & Suet. in lib. de illustr. grammaticis his verbis, de Melisso scribens. *Quare cito manumissus Augusto, & insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit.* P. Victor bibliothecam porticus Octaviæ nominat in lib. de regionibus bibliothecæ, quæ erat in domo Tiberii Imp. facit mentionem Gell. lib. XIII. cap. XIX. *Cum in domus Tiberianæ bibliotheca sederemus ego & Apollinaris Sulpicius* &c. Vopiscus in probo. *Ex bibliotheca Vlpia ætate mea in thermis Diocletianis. Item ex domo Tiberiana* &c. Tiberii autem domus in ea Palatini montis parte fuit, quæ viam sacram, & Pacis templum respicit, ut ex plumbea lamina aquæ ductus ibi nuper reperta in hortis Alex. Farnesii Card. cum inscriptione Tiberii Cæs. Imp. conjicere licet. Bibliothecæ, quæ erat in templo Trajani, meminit idem Gellius his verbis lib. II. cap. XXVII. *Edicta veterum prætorum, sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani* &c.

Hæc deinde in thermas Diocletiani, ut opinior translata est, & Vlpia â scriptoribus nominata: ejus meminit P. Victor in reg. VI. Vopiscus in Aureliano. *Et in his contentus non fueris, lectites græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, cum volueris, ministrabit.* Et paulo post. *Hæc ego â gravibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi* &c. In Tacito. *Habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. præscriptum est* &c. In Numeriano. *Vt illi statua non quasi Cæsari sed quasi rhetori decerneretur, ponenda in bibliotheca Vlpia.* Bibliothecæ, quæ erat in templo Pacis, meminit Galenus lib. I. de

comp.

comp. med. & Gellius lib. XVI. cap. VIII. his verbis. *Commentarium de proloquiis Lælii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quæsivimus, eumq; in Pacis bibliotheca repertum legimus.* Bibliothecæ Capitolinæ facit mentionem Orosius lib. VII. cap. XVI. Anno ab V. C. DCCCCXXX. &c. *nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio, bibliothecam illam, majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas rapaci turbine concremavit.* Tiburtinæ bibliothecæ meminit Gellius lib. IX. cap. XIV. his verbis. *Meminimus etiam in Tiburti bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro scriptum utrumque, facies & facii.* & lib. XIX. cap. V. *Sed, cum bibendæ nivis pausa fieret nulla, promit è bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo satis commode instructa* libris erat &c. Bibliothecæ Julii Martialis facit mentionem Martialis lib. VII.

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inferas velimo,
Septem quos tibi misimus libellos,
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere delicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto,
Pignus pectoris hoc mei tuere,
Juli bibliotheca Martialis.

P. Victor. *bibliotheca*, inquit, *Romæ unde triginta publicæ: ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Vlpia.* Domitianum bibliothecas vetustate consumptas reparasse scribit Suetonius in ejus vita. His igitur præfuerunt, Juliæ M. Varro:

ut Suetonius scribit. Satalinæ, C. Julius Hyginus, Augusti libertus, ut idem Suetonius in lib. de illustrib. grammaticis, & C. Julius Falyx, & C. Julius Phronimus: ut est in antiquis lapidibus. Bibliothecæ porticus Octaviæ C. Melissus, Augusti lib. ut est apud Suetonium in eodem de illustribus grammaticis libro. Bibliothecas autem privatas, cujusmodi illa Pomponii Attici â Cicerone describitur, quia parum frequens earum mentio est apud veteres scriptores: omisimus colligere. *Hactenus VRSINVS. Quæ vero sequuntur addita sunt Vrsini commentationi, libello de rerum inventoribus, Polydori Virgilii annexo, atque edito Argentorati 1606.*

Sunt & hodie per Italiam celebres aliquot bibliothecæ. Inter eas eminet Vaticana, ut quæ referta est, si quæ alia in Europa, antiquissimis omnium disciplinarum artiumque libris, cum græcis tum latinis ac hebraicis, calamo in membranis olim exaratis, quos à multis retro sæculis Romani pontifices summo studio accumularunt. De qua vide multa ex Onuphrio Panvinio & aliis. lib. 2. Itinerarii Italiæ à Fr. Shcotto editi.

Celebratur & Medicæa apud Florentinos bibliotheca, ut græcis literis referta. Illius hic titulus legitur.

Deo, præsidibus familiæ divis, Clemens VII Medices P. M. libris opt. studio majorum & suo undiq; conquisitis, bibliothecam ad ornamemtum patriæ, civiumq; suorum utilitatem, DD.

Hanc bibliothecam Cosmus Medices, magnus Etruriæ dux, perficiendam curavit anno Domini CIↃ IↃ. LXXI. III, idus Julii.

Cosmus in has ædes meliora volumina κόσμῳ
Transtulit, & primas quas habet orbis opes,
Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus
Rem sibi cum mundo cælitibusque parem

Eſt & Veneta ad S. Marcum celebris bibliotheca, quam Beſſarion cardinalis Nycenus reipubl. teſtamenti tabulis legavit. Sunt celebres aliquot in Gallia bibliothecæ. In his regia ad S. Dionyſium eminet, à Franciſco I. & Henrico II. mirifice aucta.

Eſt & Lutetiæ Medíceæ reginæ matris trium ex ordine regum bibliotheca græcis auctoribus M.S. potiſſimum referta. Poſt pontificiam ſeu Vaticanam crediderim nullam in orbe chriſtiano ampliorem regia bibliotheca, quæ in Carpetanis Hiſpaniæ ad S. Laurentium in Eſcuriali: quæ Didaci Hurtadi Mendozæ Caroli V. Cæſaris olim apud Venetos legati, libris potiſſimum græcis, e media græcia plena navi, advectis, mirifice adaucta eſt.

III.

GUIDO PANCIROLLUS
RERUM MEMORABILIUM SIVE DEPERDITARUM TIT. XXII.

DE
LIBRARIIS SIVE BIBLIOTHECIS.

Constituerant veteres loca publica, in quibus bibliothecas habebant reconditas, quas legendi gratia intrare cuilibet permittebant. *Romæ*, ut P. Victor scribit, XXIX. erant librariæ publicæ: inter quas *Palatina* & *Ulpia* primas tenebant. Hodie commoditate hac destituimur. Tres enim duntaxat in Italia exstant: *Vaticana* Romæ; *Medicea* Florentiæ; & *Veneta* ad D. Marcum, quæ à cardinali Bessarione reipublicæ isti testamento fuit relicta. Has non licitum est cuivis pro libitu ingredi. In monasteriis quoque aliquæ habentur, ut *Bononiæ* ad D. Dominicum; *Venetiis* ad D. Antonium; & alibi aliæ, quibus tamen uti, quandocunque volueris, non possis: sed certo quodammodo tempore, & licentia prius impetrata. Idemque de *Dionysiana* bibliotheca in Gallia erit judicandum. Primus copiosam bibliothecam instruxit *Theophrastus*: cui *Aristoteles* libros suos una cum schola; hic *Neleo* discipulo suo, moriens reliquit. quo mortuo, hæredes parvam bibliothecæ curam primum quidem habuerunt. Sed cum intelligerent postea, *Eumenem* Athaliæ regem diligenter de libris illis inquirere, nt Pergamum transferret, sub terra eos absconderunt: ubi magna ex parte à vermibus fuerunt corrupti. Longo

vero

vero tempore jam exacto, ingente pecunia venditi fuerunt *Apelliconi*: qui ita corruptos eos describi curavit, ut pleni errorum restiterint. Mortuo Appellicone L. *Sylla*, postquam Athenas cepisset, libros illos *Romam* portari curavit, ut Strabo recitat lib. 13. Primus ibi librariam dedicavit Asinius *Pollio*, ut Plinius scribit lib. 25. cap. 2. In Aegypto *Ptolomæus Philadelphus* bibliothecam fundavit 700000. librorum, quæ postea, Cæsare cum Alexandrino confligente, arsit. *Constantinopolitana* 12000. habebat libros: Inter quos etiam ilias & Odyssea Homeri continebatur, aureis literis in intestino draconis descripta. Hæc tempore Basilisci imperatoris incendio fuit absumta, ut Zonaras tradidit, quod tanquam notatu dignum referre placuit.

BAR-

IV.

BARTHOLOMAEVS CASSANAEVS CATALOGO GLORIAE MVNDI, LIB. XII.

pag. 307. edit. Venetæ 1571.

SEptuagesima tertia consideratio ad laudem & excellentiam quarundam BIBLIOTHECARVM fit. In primis *Gordianus* Imperator, cum eruditus vir esset, bibliothecam maximam extruxit, in qua sexaginta duo millia voluminum collocavit. *Tyrannion* grammaticus, qui floruit ætate Magni Pompeii super tria librorum millia possedit. Plutarchus in Antonio scribit *Pergamenas bibliothecas* habuisse ducenta librorum millia. Fertur *Ptolomæus Aegypti Rex* bibliothecam omnium pulcherrimam congregasse & in toto orbe terrarum nominatissimam construxisse, quæ usque ad primum Alexandrinum cum Romanis bellum perduravit, teste *Philippo Bergomate* in suo supplemento chronicarum libro septimo. Et idem libro XIV. extollit *bibliothecam Johannis Galeatii* vice-comitis, ducis Mediolanensis, quam *Papiæ* condidit, & in qua ingentem librorum copiam contraxit. Budæus in suo tractatu de Asse lib. 2. multum laudat post Plutarchum *bibliothecam Luculli.*

Ludovicus XII. rex Franciæ *Blesis* oppido suæ nativitatis pulcherrimam construxit, & ibi magnam librorum, præcipue in historiis, copiam coacervavit.

Apud *Aurelianos* alia fuit excellens & nominatissima. Hodie *Parisiis* duæ extant mirum in modum libris refertæ, præcipue in theologia, quarum una in *collegio regio*, quod dicunt *Navarræ*, altera vero in *monasterio S. Victoris* collocatur.

Alphon-

Alphonsus Arragonum & Siciliæ rex laudatus est, quod bibliothecam in omni facultate & omni lingua permaximam & ornatissimam sibi acquisiverit, & jam quinquagenarius præceptori se submiserit, ne loquendi usu careret.

Adrianus Romanorum imperator *Romanis* & etiam *Athenienfibus* bibliothecam permagnificam atque insignem construxit.

Bibliothecæ, teste *Vitruvio*, spectare debent ad orientem, tum quia usus matutinum postulat lumen, tum quia in his libri ac tabulæ non putrescunt. Etenim quæcunque ad meridiem & occidentem spectant, tineis & humore libros vitiant atque membranas: quoniam venti humidi advenientes procreant eas & alunt, fundentesque humidos spiritus pallore volumina corrumpunt.

Quomodo imagines virorum literatorum ad eorum memoriam & decorem in bibliothecis apposuerint plures reges Alexandriæ & Pergami, & plures Romani, vide *Plin.* lib. 35. c. 2. & *Blondum* libro VIII. de Roma triumphante; & de laude bibliothecarum etiam scripsit *F. Patricius* in libro de Instit. reip. lib. 8. tit. 15. eas commendans à comparatione.

Porro ex *antiquis bibliopolis* unicus fere *Triphon* celebratur, Hinc *Martialis* lib. 4. *Non habeo, sed habet bibliopola Triphon.* Strabo lib. 13. geographiæ scribit; *Aristotelem* omnium primum bibliothecam instituisse; & Plinius lib. 35. testatur, *Asinium Pollionem* primum Romæ bibliothecam fecisse, ut refert Polydorus de inventoribus rerum lib. 2. c. 7. ubi etiam ponit, qui primos libros ediderint; & quod olim in urbe Roma fuerint bibliothecæ numero XIIX. scribitur in opusculo de mirabilibus urbis Romæ, in secundo libro & in tertio, quæ nunc extant. Quia hic

incipit mentio de bibliotheca, in qua reponuntur volumina, id circo definitionem libri addo, quæ est talis secundum *Lucam de Penna.* in rub. de navicularijs seu naucleriis lib. II. qui dicit: *Liber est lumen cordis & speculum corporis, virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia doctorum, clarificentia rectorum, comes itineris, domesticus fidelis, socius colloquentis, collega præcidentis, vas plenum sapientiæ, via recta eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum fluens floribus, mare sine fluctibus, principium intelligentiæ, fundamentum memoriæ, hostis oblivionis, amicus recordationis. Vocatus properat, jussusq; festinat, rogatus respondens, fideliter obediens, contra fortunas lictor, atque verus tui ductor, hortus conclusus & fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus absq; ruina, ædificans te gnarum, si reperit ignarum: Nunquam patitur fastidium, etsi graves eum nimium, arcana revelans, & obscura clarificans.*

FRAN-

V.

FRANCISCUS PATRICIUS LIB. IIX. DE INSTITUTIONE REIP. TIT. XV.

BIBLIOTHECA ſalubri ac quieto loco conſtituenda eſt. Nec permittendum erit, ut cives noſtri tanto munere fraudentur. Nam ſi palæſtra, quæ corpus adjuvat, tanta impenſa in pleriſque urbibus ſtatuitur, quanto magis bibliotheca ornanda erit? quæ pabulum mentis bene inſtitutæ eſt, & exercitatio animi ingenui. Et ſi certaminum victores magnos honores meruerunt, ut in conventu ſtantes palma & corona decorarentur, & redeuntes in propriam patriam quaſi victoria triumphantes, quadrigis inveherentur, perpetuoque victu alerentur: quanto magis efferendi ſunt viri doctiſſimi, qui diſciplina & moribus rempublicam adjuvant, & ſcriptis ſuis ea omnia memoriæ commendant, quæ poſteris ſeculis profutura ſint? Bibliothecæ locus eligatur, qui ad orientem ſpectet, acies namque oculorum matutinum lumen poſtulat. Nam ſi ad meridiem vel occidentem ſpectaret, venti, qui locum perflant, humido pallore librorum volumina corrumperent, tineaſque procrearent, quibus libri exeduntur corrumpunturque. Poliantur parietes opere tectorio, adornenturque viridi colore: viridia enim omnia oculis proſunt, acremque aciem reddunt. Laudantur ſummopere *Attalici reges*, qui ſtudio diſciplinarum inducti, nobilem *bibliothecam Pergami* ad communem civium peregrinorumque utilitatem ac delectationem inſtituerunt. Hanc Pergamenam bibliothecam Plutarchus in M. Antonii vita ſcribit largitum fuiſſe M. Antonium Cleopatræ, in qua du-

 centa

centa librorum millia fuerant, testemque Calvisium Octavii amicum inducit. Sic & *Ptolomæus Aegypti* rex eodem studio ac cupiditate pellectus, longe majore impensa ac diligentia *Alexandriæ bibliothecam* consummavit, in qua quadraginta millia librorum volumina fuisse memorantur. Hi omnes libri fortuito incendio perierunt in prælio Cæsaris contra Achilam regiæ militiæ præfectum. Nam cum regia classis forte subducta juberetur incendi, ea flamma urbis partem invasit, & ædes in quibus libri reconditi erant, omni ex parte exussit: quo quidem incendio miserandam jacturam disciplinæ omnium bonarum artium fecerunt. Certatim siquidem scriptores omnium gentium, omniumque terrarum illic volumina sua deferebant, quasi in theatrum palæstramque sapientiæ ac doctrinæ. Eo namque loci musis & Apollini ludi celebrabrantur, in quibus magnis muneribus propositis, poëtæ, oratores ac philosophi seorsum inter se certabant, & victores præmia & honores secundo pene totius orbis terrarum rumore accipiebant: eorumque volumina ac scripta bibliothecæ inferebantur. Quod quidem studium ita animum juvenum incendebat, ut nemo satis sibi eruditus videretur, nisi in his certaminibus laudem meruisset. Habuerunt & Romani plures bibliothecas, cum publicas, tum privatas; sed diuturnitate temporis, & bellorum tempestate, omnes perierunt: quarum si qua vestigia extarent, magnis nos laboribus liberarent, & obscuriores literarum tenebras lumine vetustatis illustrarent.

MICHA-

VI.

MICHAELIS NEANDRI DE BIBLIOTHECIS DEPERDITIS AC NOVITER INSTRVCTIS.

P*Erierunt trifti ac miſerando interitu*, temporum injuria & iniquitate, longo tractu annorum, vetuſtate quæ omnia conſumit, bellorum motibus ac malignitate, terrarum vaſtationibus, inundationibus, improviſo ignis caſu, vel quandoque odio & invidia turpi & deteſtanda, (quæ incendiarios librorum inertes & ſtultos, etiam ævo noſtro ſollicitavit) à blattis etiam ac tineis arroſi, ac ſimilibus literarum peſtibus, *optimorum librorum innumeræ myriades, in omni ſcientiarum, ſtudiorum & diſciplinarum genere, in facultatibus ſingulis, theologia, medicina, jurisprudentia, philoſophia, philologia, hiſtoria, poetica, oratoria.* Horum vero interitum ac amiſſionem luxerunt jam olim multi viri eruditi: nec dum ſunt qui lugere id damnum deſinant, quod hac amiſſione fecerunt litteræ, ſcholæ, ecclefia ac reſpublica: quod tot præclariſſimis optimorum ac utiliſſimorum ſcriptorum monumentis male deperditis, ſine incommodo ſive jactura carere vitam humanam non poſſe exiſtiment.

De libris ſcriptis ante & poſt diluvium, vide Poſtel. l. de Originibus c. 15. Beroſum item lib. 4.

Nullibi hodie reperiuntur infiniti hiſtoriarum & librorum theſauri, ante diluvium ſcripti: tametſi non deſint qui ſcribant, quibuscunque etiam rationibus moti, apud Brachmanas (qui & Gymnoſophiſtæ appellantur) indorum philoſophos, etiam hos extare.

De libris Biblicis amiſſis, vide Athanaſ. in Synopſi ſua, & Reuchl. l. 1. de Cabala.

Citantur ab hominibus fide dignis *Hænoch* libri, & *Abrahæ* patris noſtri, quin & Moſes allegat *libros bellorum domini*, Joſue *librum juſtorum*: & *univerſitatem librorum Kiriath*

riath Sepharim, quam Atniel duce Caleb expugnavit: Asuerus *librum memorabilium*, Jonathas in Maccabæis *libros sanctos de Spartiatis*: Paralipomena commemorant *libros lamentationum*, item *Samuel videntis*, & *Nathan prophetæ*, & *Gad videntis*, & *Semesa prophetæ*, & *Haddo videntis*, & *Abiæ Silonitis*, & *libros Jehu filii Hamani*. Hi vero omnes nusquam sunt.

De libris provinciæ Judææ ac Ezech. amissis, meminit Ath. in Synop. Joseph. l. 8. c. 6. ἀρχαιολογίας.

Josephus *libros provinciæ Judææ* nominat: ac una etiam refert, prophetam *Ezechielem* duos prophetiæ libros scripsisse, cum nobis unus duntaxat extet: quemadmodum prophetarum etiam libri, præcipue eorum qui minores vocantur, concionum earum, quas non paucas habuerunt in tanta longævitate, compendia sunt. Ac dubio procul multa alia prophetarum ac sanctorum patrum monumenta intercidere, quorum neque nomina nobis nota sunt hactenus. Desides enim cum essent Judæi, nec desides modo, sed & impii, alia quidem perdiderunt negligenter: alia vero tum incenderunt, tum conciderunt prophane; de quorum prophanatione apud Hieremiam prophetam, de negligentia vero in quarto Regum libro legimus. Ea vero adeo fuit magna, ut post multum temporis vix Deuteronomii volumen sit repertum in quodam loco defossum, ac jam pene deletum. Si autem absque ulla incensione templi, absque ullo civitatis tumultu, sacri tamen libri varie deperierunt: quis jam istud inter illas depopulationes vastationesque hostium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigisse miretur?

Athanasius in Syn. Chrysost. in expositione cap. 2. Matth. Athanasius ibidem.

Psalmorum Davidis trium millium numerum fuisse, in Paralipomenis scribitur: e quibus tamen centum quinquaginta tantum ab amicis Ezechiæ regis selecti, reliqui vero

3. Reg. c. 4.

absconditi sunt. *Quinque millia parœmiarum à Salomone* edita esse, scriptura in Paralipomenis tradit. Quin & *quinque millia*

millia canticorum Salomonis fuerunt. Et locutus est de arboribus à cedro quæ in Libano est, ad hyssopum usque, quæ è muro nascitur. Locutus est etiam de jumentis, de volucribus, de reptilibus, & de piscibus: (inquit scriptura) & hæc tamen nusquam in ebraicis literis reperiuntur.

Librum etiam ἰαμάτων παντὸς πάθους Salomonem conscripsisse, Suidas in Ezechia perhibet.

Ac Joannes Picus comes Mirandulæ & Concordiæ dominus, cujus extant libri aliquot eruditissime scripti, quod vir esset hebraice, græce ac latine ad miraculum usque doctus, testatur, scriptum esse à Salomone librum cui *Sapientia* titulus sit, non qui nunc in manibus est Philonis opus: sed alterum, Hierosolymitana (quam vocant) secretiore lingua compositum, in quo ipse Salomon naturæ rerum interpres omnem se illiusmodi disciplinam fateatur de Mosaicæ legis penetralibus accepisse.

In comment. super Gen.

Esdræ etiam (viri egregia ac singulari eruditione adeo præstantis in legibus atque disciplinis omnibus hebræorum exponendis, ut universas eorum doctrinas in memoria habuerit) *libros 70. de caballisticis secretis*, desideramus huc usque: quos ipse post exitum de Babylone, ubi per annos 70. populus Dei captivus detentus fuerat propter peccata, conscripsit, ac conscribi curavit à 70. senioribus, quos convocaverat propterea in unum synedrion, de legis mysteriis seu divinæ legis interpretatione, quæ *cabala* appellata est, hoc est, *scientia secretior:* ac traditione seu revelatione accepta, ob eam videlicet rationem, quod à Mose ad ea usque tempora non per literarum monumenta, sed ordinariis revelationum successionibus, alter ab altero per manus ac traditiones quasi hæreditario jure eam suscipiebat. Hi sunt libri scientiæ cabalæ, in quibus Esdras, qui universas hebræorum doctrinas memoria tenuisse

De Esdræ libris 2. Crinit. lib. 25. cap. 3. de honest. disci. Postel. de Origin. c. 17. Reuchelin. in cabala lib. 1.

Cabala hebræorum.

isse

iſſe ſcribitur, venam intellectus, id eſt, ineffabilem de altiſſima divinitate theologiam, ſapientiæ fontem, de intelligibilibus angelicisque formis abſolutam metaphiſicen, ſcientiæ flumen, id eſt, de rebus naturalibus firmiſſimam philoſophiam eſſe, clara voce pronunciavit. Eos vero in tanto precio atque religione habuerunt ſemper hebræi, ut neminem liceret eos attingere ac legere, niſi ætatem annorum quadraginta aut attigiſſet, aut ſuperaſſet etiam.

Bibliotheçæ Darii lib. I. Esdr. cap. 2.

De *bibliothecis Darii*, quæ fuerunt in Ecbatannis (Mediæ metropoli, quæ caput fuerat Medici imperii) ac Babylone, ſacra biblia meminerunt.

Bibliotheca Suſiana.

Fuit etiam *Suſiana bibliotheca* memorabilis, quam Methaſtenes Perſa conſuluit, cum de judicio temporum ac annalium poſt Beroſum ſcriberet. Suſa autem lingua

Theſauri Suſiani. Quint. C. lib. 5. de vita Alex.

Perſarum lilium ſignificat, ob pulchritudinem. Hæc eſt ea civitas, ubi Dario victo ab Alexandro, una hora in externi regis Alexandri manus intulit fortuna incredibilem ex theſauris, qui Suſiani nominantur à ſcriptoribus, ſummam pecuniæ, opes ingentes, quas multi reges longa ætate cumulaverant liberis poſteriſque. Hæc eſt ea etiam civitas, ubi reges Perſarum (molles & infames luxuria, qui varios regionum ſitus tractusque mutare ſolebant, pro temporis ratione, gruum more) hyeme ob mitiorem cœli plagam degebant, quod is regionis tractus cum ſalubris & temperatus, tum etiam inter paucos amœniſſimus eſſet: in æſtatis autem caloribus maximis Ecbatana petebant, montoyſis ſita locis & algidis, ac flatibus expoſita frigidis: autumnum vero omnem in Perſepoli transmittebant: reliquum vero anni ſpacium Babilone morabantur.

Athen. l. 12. Δειπνοσοφ. Leonic. lib. 3. cap. 94. de varia hiſt. Xenoph. lib. 8. Cyropædias.

Piſiſtratus tyrannus Athenienſium, genere clarus (elo-

(eloquentia vero tanta, ut non minus quam Hegesias ille πεισιθάνατος, quo vellet, duceret homines: qui artium liberalium *libros primus publicè* * *Athenis legendos* exhibuit, cum Anaxagora philosopho) magnum apud Athenienses librorum numerum collegisse fertur, quos Areopagitæ postea majori studio auxerunt & adornarunt: quorum immensam copiam Xerxes rex victoria potitus, ac urbe præter arcem incensa, in Persas asportavit: quos postea universos Seleucus rex Syriæ, ob corporis molem ac robur Nicanor dictus, Athenas referri curavit.

De Pisistrati eloquentia, vide Plut. in Solone: de Hegesia vero, Laert. in Aristippo: Valer. etiam lib. 8. c. 9. & Cic. l. 1. Tusc. quæst.

* Gell. l. 6. c. ultimo.

Ab hoc postea tempore reges & magistratus, præclara eruditorum inventa, toti terrarum orbi profutura, rerumque gestarum monumenta, ne in spongias caderent, bibliothecas de ære publico ædificarunt. Inter hos *Ptolomæus Philadelphus*, rex Aegypti, antesignanus fuit, insignis ipse musarum patronus, exulumque musarum hospes liberalissimus: unde & poëtarum plerorumque scriptis non immerito præclare celebratur. Hic studium Pisistrati æmulatus, in *Alexandria Aegypti*, universæ doctrinæ officina (ubi studia à Josephi tempore ad intium usque regni Mahomet per annos bis mille semper floruisse, ac ad scholam Alexandrinam ex orbe universo discendi causa homines accurrisse, ex scriptis patrum, historicorum, poëtarum ac cosmographorum meminimus) omnium artium ingenuarum & totius encyclopædiæ libros variis linguis scriptos, partim conquisivit ex orbe propemodum universo, apud Aethiopas, Indos, Persas, Elamidas & Babylonios, Assyrios item ac Chaldæos, & Romanos & Phœnices, Syrosque, ac eos qui in Græcia adhuc nondum Romani appellabantur, sed Latini, apud quos magna multitudo librorum servabatur, partim ab Aegyptum præternavigantibus sibi afferri curavit: quorum

Theoc. Encom. Ptolomæi Idyl. 17.

De Alexandrina bibliotheca, Joseph' lib. 12. ἀρχαιολογ. Philo orat. 12. de Mos. Zonar. tom. 1. pag. 142. item tom. 2. pag. [illegible]

Epiphan. l. de pond. & menf. Euſeb. hiſt. eccleſ. l. 5. c. 8. Gal. in 3 lib. Epidem & Hippoc lib. 1. de nat. hom.

rum ἀυτόγραφα magni empta, Alexandriæ in bibliothecam depoſuit, & transſcriptos nautis redeuntibus reddidit. De quo memorabile liberalitatis regiæ in coëmendis libris exemplum Galenus refert: nempe quod Athenienſibus XV. puri argenti talenta ἐνέχυρα, pro Sophoclis, Euripidis Aeſchylique tragœdiarum exemplaribus ἀυτογράφοις oppignorarit: quas tandem exquiſite & eleganti apparatu exaratas, Athenienſibus (nova ſcilicet pro veteribus) reddidit: & 15. illa argenti puri talenta ἐνέχυρα, id eſt pignora, illis donavit. Fuit hæc rege digna liberalitas. *In ea repoſita etiam erant *ſacra biblia*, ſeu libri divini prophetarum, docentes de Deo, & mundi creatione, ac omni re utili, ut Epiphanius loquitur. Nam cum rex amore literarum flagraret, ac omnium gentium hiſtorias, doctrinas, ac de variis rebus ſententias cuperet cognoſcere, habere & legere, ac horum libros in bibliotheca ſua reponere: audiret etiam porro, ſolos Judæos (gentem antiquiſſimam, ac primam) à prima origine veram de Deo ac rerum omnium initiis traditam habere hiſtoriam, ne ipſum quicquam lateret ſapientiæ divinæ, nihil humanæ, miſſis ampliſſimis muneribus, ab Eleazaro ſummo tunc pontifice precario impetravit, ut ſeptuaginta duos viros mitteret, qui pietate, doctrina, ac linguarum eruditione ſpectati, legem Moſaicam in græcum idioma de hebræo verterent. Id opus adhuc extat, & *ſeptuaginta duorum interpretum* nominatur: ac conſtitit tonellis coronatorum circiter duobus. Ex ea converſione græca apoſtoli etiam ſua petunt teſtimonia: quemadmodum id planum fit ex novo teſtamento, cuilibet obſervare volenti. Eam tralationem Ptolomæus rex, in 72. volumina digeſtam, aureis literis ſcriptam (ut Zonaras græcus narrat, probatæ fidei hiſtoricus) in ſacrarium bibliothecæ Alexandrinæ collocavit.

* De legis Moſaicæ interpretat. vide tum alios, tum Euſeb. l. 5 c. 8. Niceph. l. 4. c. 14. Auguſt. de civit. Dei l. 18. c. 42. item 43. Ariſteam lib. de 72. interp.

Biblia aure is literis in volum. 72. deſcripta.

Qui-

Quibus, medicis sacra divini *Hippocratis* medicorum Hippodaduchi volumina, digna certe ne unquam putrescerent, utque cedrinis includerentur forulis, quoque accesserent: de quibus postea Hippocratis interpretes (quemadmodum Jurisperiti hactenus de *Pandectis Florentinis*, ad quas multos videndi saltem eas gratia profectos, quasi beatos tunc futuros, accepimus) acceperunt, unde obscura corrigerent ac exponerent. Atque hæc erat Alexandriæ in Aegypto bibliotheca locuples, artium omnigenarum inventarium, & rerum memorabilium thesaurus, septingentorum millium librorum dives, cum divite Persarum in Susis & Ecbatanis gaza non permutanda, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum, elegantiæ curæque regum egregium opus. Sed proh dolor: quum Cæsar diu circa regiam Alexandriæ dubio marte pugnasset, jussissetque tecta urbis incendi, tum quoque nobilissima illa bibliotheca, quam Ptolomæus Philadelphus congestis ex universo terrarum orbe libris construxit, subito quoque incendio conflagravit, in qua septuaginta voluminum millia inexplebilis Vulcani voracitas deglutivit.

Libri Hippocratis

Pandectæ Florentinæ.

Seneca l. 1. de tranq. vitæ: ubi etiam Livii extat de ead. bibliotheca sententia, quam Sen. totam improbat.

Græci vero nec Pisistrati nec Seleuci regum bibliotheca Athenis instaurata contenti, sed *in Cnido* quoque, una Cycladum insula in mari jonio bibliothecam constituebant: quam Hippocrates igne, alii malevolentia concrematam scripserunt.

Gell. l. 7. c. 17. noct. Attic. Soranus in vita Hipp.

Ac *in Pergamo*, Atticæ oppido, Galeni medicorum principis solo, sacerdotes (qui non sacrorum modo, sed & medicinæ essent antistites) bibliothecam perantiquis tum medicorum, tum aliorum autorum ac scriptorum libris, partim in * membranis primo in Pergamo reper-

De libris & bibliotheca in Pergamo Gal. l. 6. Epidem. & Hippoc. de fractura oss. l. 3. Plut. in M. Antonio.

* De varia scribendi libros pro papyro materia, meminerunt Plin. lib. 13. Nat. hist. Liv. l. 10. Plutarch. in vita Numæ. Herod. l. 5. Crinit. l. 19. c. 4. de hon. disc.

tis, partim in delicatioribus ex tilia arbore corticibus, quos φίλυρας dicunt, conſcriptis, refertam conſtruebant.

Has in Pergamo bibliothecas, Plutarch. ſcribit M. Antonium Cleopatræ dono dediſſe quæ ducentis librorum millibus conſtabant, ab Attalo & Eumene regibus conditas: quas Galenus ſuis quoque locupletaverat libris 150. quos de omnifaria artium eruditione ediderat: quos partim Romæ in bibliothecam in Sacra via, & prope Sandalarium, & templum Pacis (ubi erat quotidianæ ad veſperam medicorum diſputationis palæſtra) erectam depoſuit.

Galen. de ſuis combuſtis, lib. 1. de Compo. meg. & li. 1. de Nat. hom. & prop. libr.

Templo vero incenſo, magnæ quoque Romanorum *in Palatio bibliothecæ*, una cum Galeni libris, incendio perierunt: quod paſſim Galenus in ſuis conqueritur libris, quorum jacturam Romanos & magni feciſſe, & luxiſſe, credere fas eſt.

Lib. 14. Geograph Lib. 2. Biblioth. ſuæ.

In Chio etiam, ubi templum Homero doctrinæ ac virtutis ergo è Græcis fuit exædificatum, bibliothecam fuiſſe, Strabo prodidit. Meminit etiam Diodorus Siculus *bibliothecæ* cujusdam *in Aegypto*, quæ *ſacra* fuerit appellata: in cujus veſtibulo ſcriptum fuerit ἰατρεῖον ψυχῆς, *medicamentum animæ*.

Lib. 6. Bibliothecæ.

Idem rurſus ſcribit, quod in Græciæ diluvio, una cum hominibus multa quoque præclara literarum monumenta perierint.

De Aſinio Pollione Pli. l. 7. c. 30. item l. 35. cap. 2.

Nec Romani divite librorum theſauro cæteris nationibus, Aegyptiis, Chaldeis aut Perſis concedere voluerunt: apud quos *Aſinius Pollio*, celebris ac ſumma diligentia orator, Auguſti Cæſaris amicus, *bibliothecam primus publicavit: qui*, ut Plinius ait, *ingenia hominum rempublicam fecit:* in qua M. Varronis, togatorum omnium doctiſſimi, adhuc viventis effigies collocata fuit: cui, teſte Suetonio,

Cæ-

Cæsar dictator græcos & latinos codices in bibliothecis dirigendi in ordinem provinciam dedit, quam postea Cæsar Augustus, mortuo Lepido designatus pontifex, assumere non erubuit: qui inter libros præcipue fatidicos utriusque linguæ, acerrimum delectum habuit: quorum, qui non de probatis circumferebantur auctoribus, plusquam duo millia combussit: solos tamen, habito delectu, sibyllinos quosdam retinuit, quos in duobus de auratia formulis sub Palatini Apollinis basi recondidit: qua in re officio suo præclare functus est. Refert namque Livius, patrum avorumque ætate negotium semper magistratibus datum, quo sacra externa fieri vetarent, vaticinos libros conquisitos comburerent: omnemque sacrificandi ritum, præterquam Romano more, abolerent. Ob id Cæsar Druydas, Vespasianus Judæos Roma exegit.

Bibliothecarum præfecti fuerunt pontifices & cæsares, autore Livio & Suetonio.

Libri sibyllarum partim combusti, partim servati. Lib. 41. ab urbe condita histor.

Ac *Sylla*, nobilis Romanus, dux ac bellator strenuus, ex antiqua Scipionum familia oriundus, literis græcis & latinis bene eruditus (de quo dubitatur, fortior an felicior esset; qui rempublicam Romanam postea tamen oppressit, ac à pediculis absumptus est) captis à se Athenis, ubi fuerunt bibliothecæ insignes (βιβλίων ταμιεῖα vetusta καὶ μάλα τῶν ἀρχαίων κόσμου οἰκεῖα, ut Aristides sophista scribit) *immensum librorum numerum Athenis Romam transtulit*, quemadmodum id referunt Plutarchus ac Strabo, his quidem verbis: Neleus Corisci filius, Aristotelem & Theophrastum audivit: & successor fuit bibliothecæ Theophrasti, in qua Aristotelica inerat. Nam Aristoteles & bibliothecam & scholam reliquit Theophrasto, & primus omnium quos scimus libros congregavit, & Aegypti reges bibliothecæ ordinem docuit. Theophrastus vero eam tradidit Neleo: Neleus eam Scepsim detulit, ac posteris dedit, hominibus sane imperitis, qui libros in clusos

Sylla Romanus.

In Panathenaico.

Vide Plut. in Sylla. Strabonem l. 13. Geog.

Neleus philosophus Socrat. Ar. & Theoph.

clusos ac negligenter positos tenebant. Cumque Attalicorum regum, sub quibus erant, studium sentirent conquirendorum librorum, ad instruendam eam bibliothecam quæ Pergami erat, eos in fossa quadam sub terra occuluerunt: quos & tineis & humiditate labefactos, tandem qui ex eo genere erant, Apelliconi Tejo tradiderunt, magno emptos argento, Aristotelicos scilicet, atque Theophrasticos.

[Margin: discip. Socr. psi Phrygiæ oppido oriundus. Plin. lib. 25. c. 2. Alex. ab Alexandro l. 2. Genial. dierum, c. 30. Vide Suid. in ἀπελλικῶν. item in σύλλας.]

Apellicon, ut qui magis esset librorum studiosus quam sapientiæ, volens corrosiones emendare, eos transcribendos dedit, scriptura non recte suppleta: quapropter libros edidit erroribus plenos. Continuo autem post Apelliconis obitum Sylla, qui Athenas cepit, bibliothecam ejus Romam transtulit.

[Margin: Vide Suid. in Sylla, ac Plut. ibid.]

Tyrannion quoque grammaticus incepit, cum Aristotelis amantissimus esset, eo sibi conciliato qui bibliothecæ præerat. Item librarii quidam scriptoribus utentes non bonis, nec scripta conferentes: quod in his libris præsertim fieri solet qui vendendi transscribuntur, tum hic, tum etiam Alexandriæ.*

[Margin: Luculli Romani bibliotheca. Plutar. in Lucul.]

Hinc ab autoribus probatis celebrata leguntur *Luculli*, opulenti illius Romani, *bibliothecarum splendida ædificia*, quæ studiosis omnibus libere & perpetuo patebant, ac plurimos optimeque scriptos libros offerebant, etiam advenis, tanquam amœniss. musarum diversorium, & asylum: quo viri docti, ex Græcia & Arabia turmatim confluebant, & assidente Lucullo de gravissimis totius philosophiæ theorematibus concertabant: quare Lucullus æternam sibi comparavit gloriam. Hinc *Augusti* Cæsaris, hinc *Tiburtii*, hinc *templi Trajani*, *domus* item *Tiberianæ*, & *Pacis* similiter: hinc *Tiburti*, quæ in Herculis templo satis commode instructa libris erat, *bibliothecæ*; hinc *publica* illa *bi-*

[Margin: Vide Suet. in Aug. Gell. lib. 9. c. 14. & itē]

bibliotheca, ubi repositi erant Josephi ac Philonis Judæorum eloquentium ac eruditorum libri græce scripti, orationis genere plane Attico ac dulci.

rum cod. I. c. 18. lib. item 16. c. 8. & l. 19. c. 5.

Instituit post multos annos inter alios prædivites, suam bibliothecam *Plinius junior* Novocomensis, libris in omni disciplinarum genere antiquissimis refertam: cujus instinctu *Trajanus* imperator (apud quem in magna dignatione erat) eam erexit quæ *Vlpia* dicta est, in qua libris linteis gesta principum, senatus consulta vero elephantinis conscribi curabat. Ejus exemplum inde *Gordianus* imitatus, dum pluris faceret librorum quam argenti atque auri thesauros, bibliothecam 62. millibus antiquissimorum voluminum aperuit: ad quorum omnium conservationem mox *Tacitus* imperator, non tantum amplissimas divitias erogavit: sed & Cornelii Taciti viri consularis historias, atque aliorum probatissimorum autorum lucubrationes, decies quotannis ad usum publicum transcribi, atque in diversas hinc inde bibliothecas spargi, edito (ut apud Flavium Vopiscum legimus) edicto præcepit.

Euseb. porto l. 2. c. 18. & l. 3. cap. 9.

Bibliotheca Plinii junioris Novocomensis.

Bibliotheca Trajani Vlp.

Gordiani bibliotheca

Bibliotheca imp. Tacit.

Cornelii Taciti hist. Romana, decies quotannis descripta.

Sub L. Antonino Commodo altero, ædes Jovis capitolini fulmine incensæ, ignem in bibliothecam vicinam instructissimam majorum cura ac diligentia adornatam, derivarunt, eamque magna cum jactura & clade literarum & librorum excusserunt: sicut id à multis scriptoribus est proditum, Honorio, Spartiano, Orosio. Et *Laurentius*, sive *Larensius* ille, vir Græca & Romana lingua disertus ac idem jurisconsultissimus, qui multiscios illos Dipnosophistas ab Athenæo descriptos convivio excepit, tantum librorum veterum & græcorum suppellectilem congessisse fertur, ut omnes alios eodem nomine claros facile superaverit: quemadmodum id ab Athenæo, polyhistore illo admirando ac multiscio, hoc pacto refertur:

Biblioth. sub Anton. exusta.

Biblioth. Laur. Athenæus lib. I. [illegible] cap. 1.

fertur: ἦν δὲ, φησὶ, καὶ βιβλίων κτῆσις αὐτῷ ἀρχαίων ἑλληνικῶν τοσαύτη, ὡς ὑπερβάλλειν πάντας τοὺς ἐπὶ συναγωγῇ τεθαυμασμένους, πολυκράτην τε τὸν σάμιον, καὶ πεισίστρατον τὸν ἀθηναίων τυραννήσαντα, εὐκλείδην τε τὸν καὶ αὐτὸν ἀθηναῖον, καὶ νικοκράτη τὸν κύπριον, ἔτι τε τοὺς περγάμου βασιλέας, εὐριπίδην τε τὸν ποιητὴν ἀριστοτέλη τε τὸν φιλόσοφον, καὶ τὸν τὰ τούτων διατηρήσαντα βιβλία νιλέα, παρ' οὗ πάντα φησὶ πριάμενος ὁ ἡμεδαπὸς βασιλεὺς πτολεμαῖος, φιλάδελφος δὲ ἐπίκλην, μετὰ τῶν ἀθήνηθεν καὶ τῶν ἀπὸ ῥόδου, εἰς τὴν καλὴν ἀλεξάνδρειαν μετήγαγε. Præterea vetuſtorum librorum græcorum pariter ac latinorum copiam tantam eum congeſſiſſe, ut omnes libris coacervandis nobiles ſuperaret; Polycratem, inquam, Samium, Piſiſtratum tyrannum Athenienſium, Euclidem Athenienſem quoque, Nicocratem Cyprium, Pergami reges, Euripidem poëtam, Ariſtotelem philoſophum, & , qui horum libros in poteſtate habuit, Nileum, à quo ſcilicet omnes mercatus Ptolomæus rex noſtras, cognomine Philadelphus, cum iis quos Athenis & Rhodi emerat, in pulchram Alexandriam transferri curavit.

Bibliotheca Juliani.

Julianum παραβάτην illum καὶ ἀποστάτην, tametſi hoſtem ac perſecutorem eccleſiæ, non in poſtremis adnumerandum, ſed in omni vetere doctrina à prima ætate recte inſtitutum (ut vincit ſæpe naturæ malitia doctrinam ac inſtitutionem; ac multi Platonis diſcipuli tyrannice imperium adminiſtrarunt) Libanius ſic celebrat: βιβλία πάντα πανταχόθεν ἐξείλκυσε, καὶ τὰ ταμιεῖα διηρευνήσατο ταῦτα μᾶλλον ἢ τὰ τῶν χρημάτων ἔπερ'. Ac ipſe in epiſtola quadam, quæ adhuc extat, jubet Porphyrium catholicum diligenter quærere bibliothecam Georgii, quem quis ſit ipſe pluribus verbis non ſcribit, quod ipſi fuerit μεγάλη βιβλιοθήκη, hoc eſt numeroſa, ac copioſa bibliotheca. Vnde veriſimile ſit, Julia-

Lib. ii. Athen. ſuorum Dipnoſoph. Oratione in Julianum.

Vide Suidam in voce Ἰουλιανὸς. vide etiam Juliani Græcas epiſtolas, quæ ab Aldo in 4. ſunt editæ, tomis duobus, cum aliquot aliorum, ſatis craſſo volumine.

lianum quoque non vulgarem, ſed precioſum potius ac exquiſitum librorum optimorum theſaurum poſſediſſe: cum in epiſtolis ſuis ſubinde ex veteribus multa teſtimonia uſurpet ac proferat, ac ipſe de ſe ſcribat his verbis: ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι ἢ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.

In epiſtol. ad Ecdicium Aegyp. præſidem.

Quintus Serenus Samonicus, cujus extat carmen eruditum de morborum variorum curatione, Gordiani junioris præceptor fuit: quem usque adeo dilexit raræ eruditionis ac clementis ingenii ergo, ut bibliothecam illi ſuam, duorum & ſexaginta millium voluminum, teſtamento legaverit: ut ſcribit Aelius Spartianus.

Bibliotheca Quinti Sereni Samonici.

Tyrannion Amiſenus grammaticus, φιλαριστοτέλης, qui tempore Pompeji Magni clarus habitus eſt, poſſidet βιβλία ὑπὲρ τὰς τρεῖς μυριάδας, hoc eſt ſuper triginta millia. Totidem etiam tenuiſſe legitur *Epaphroditus*, Neronis cæſaris libertus.

Strab. in Sylla. Suidas in Tyc.

Magnificis impenſis plurimos etiam optimos libros congeſſerunt doctrina & eruditione excellentes aliquot *epiſcopi*: qui poſteritati magna laudis æmulatione ſervientes, ut quisque fuit doctiſſimus, ita etiam majorem operam in id impendit, utpote *Pamphilus* Cæſarien. presbyter, qui cum Euſebio ut par amicorum vivebat: qui tantum ſelectiſſimorum librorum collegerat, ut cunctos qui bibliothecis inſtruendis hactenus operam indefeſſam dediſſent, longe ſuperaverit, cujus in colligendis libris ſtudium adeo D. Hieronymus commendat, ut maximam partem voluminum Origenis ſua manu deſcripſiſſe, ſanctiſſime affirmet.

Suidas in Epaphrodito. Leonicenus de varia hiſt. l. 3. c. 34. Euſeb. l. 6. c. 21. item 22. & iterum c. 32. ejusdem libri

Ex *bibliotheca Hieroſolymitana*, Euſebius Cæſarienſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcribendæ materiam deſumpſit.

Bibliotheca Hieroſolymitan. Euſeb. l. 6. c. 20.

Antiochiæ templum conſecratum Trajano, Jovianus

Im-

Bibliotheca Antiochena incensa, Suidas in ἰοβιανὸς

Imperator, ubi preciosa bibliotheca esset, instigatione uxoris incendi jussit: cui incendio faces subdidisse ipsius concubinas ferunt: atque ita multi optimi libri una cum templo conflagrarunt, quam rem perquam iniquo animo Antiochenses tulere, atque natura dicax illud hominum genus multis dicteriis incessere imperatorem, interque hæc versus Homericos in eum torserunt irridentes, sparsis partim humi, partim parietibus affixis libellis, e quibus memorantur aliquot hujus sententiæ:

Apud Suidam, pag. 167.

ἤλυθες ἐκ πολέμου ὡς ὤφελες αὐτόθ' ὀλέσθαι.
καὶ, δύσπαρι εἶδος ἄριστε. καὶ,
ὅσον μῆκος καὶ βάθος ἡ μωρία.

Bibliotheca Alexandrina incensa ab Arrianis.

Indicat & Athanasii narratio in lib. de persecutione Arrianorum ad orthodoxos, in ecclesia Alexandrina *bibliothecas in templis christianorum*, & libros magna cura asservatos fuisse. In ea enim Arianorum impietatem accusat, quod libros ecclesiæ ereptos combusserint.

Theodosii Junioris studium in colligendis libris. Nic. l. 14. cap. 13. Socr. l. 7. c. 22. Eus. l. 3. c. 27. eccles historiæ.

Prædicatur etiam *Theodosius junior* eo nomine, quod collegerit sacros codices, & quæ ab interpretibus ipsorum scripta erant, & scribebantur, ut ea laude Ptolomæo Philadelpho minime cederet.

Ac Euseb. Pamphili scribit, suo tempore tot patrum scripta extitisse, ut nomina saltem eorum recensere impossibile sibi sit: qui quidem orthodoxi fuerint, non adnumeratis infinitis aliorum scriptis ac libris. Ac Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, Origenem, Basilium, Nazianzenum, ac plerosque patres alios instructissimas bibliothecas habuisse, non à vero alienum est: cum ipsi id fateantur, ac de scriptis ipsorum id ostenditur.

Pattrum bibliothecæ instructissimæ.

Bibliotheca Constantinopolitana custa

Constantinopoli regnante Basilisco, gravissimum incendium *bibliothecam* absumpsit instructissimam & clariss. δώ-

δεκα

δεκα μυριάδας βιβλίων ἀποκειμένων ἐν αὐτῇ ἔχουσαν: hoc est, in qua reposita fuerunt centum viginti librorum millia; quemadmodum id scriptum reliquerunt, Zonaras historicus, ac Malchus sophista Byzantius, cujus testimoniis etiam divus Hieronymus utitur, qui eam cladem, id incendium deplorat in sua historia, μάλα σπουδαίως καὶ τραγῳδίας δίκην ἀποθρηνῶν αὐτά; ut verbis Suidæ id referam. In ea bibliotheca idem Zonaras fuisse perhibet δράκοντος ἔντερον, μῆκος ἐν ποδῶν ἑκατὸν εἴκοσι, ἔχον ἐγγεγραμμένα χρυσοῖς γράμμασι τὰ τοῦ Ὁμήρου ποιήματα, τήν τε Ἰλιάδα, τήν τε Ὀδύσσειαν: intestinum videlicet draconis longitudine pedum centum viginti, cui aureis literis Homeri poemata tam Ilias quam Odyssea inscripta essent.

Zonaras tom. 3. annalium, p. 43. & Suidas in Malcho.

Tom. 4. operum suorum.

Hom. scriptus aureis literis in corio draconis.

Præterea *Hilarii ac Nicolai quinti* Pontificum bibliothecas, ob incomparabiles librorum antiquissimorum thesauros encomiis celebratas. Transeo etiam aliorum infinitorum magnificis impensis instructas bibliothecas, quæ librorum optimorum conservationi consecratæ fuerunt: quorum tamen minor pars post tot bellorum tumultus, urbium expugnationes, incendia, & alias fluctuantis fortunæ vicissitudines perniciosissimas, hodie superest.

Bibliothecæ Hilarii ac Nicolai quinti pontificum.

Veruntamen plures adhuc in omnibus linguis extant hactenus boni & mali, utiles & inutiles libri, quam emptores: multæ adhuc bibliothecæ sunt in Gallia, in Italia, quæ immensos optimorum manuscriptorum librorum in omnibus linguis artibus ac scientiis thesauros continent: ne non nobis delicatulis, ac querulis semper, luculenter satisfaciat, etiam in hac parte, benignus noster pater in cælis. Ideo moderate etiam hic queri oportebat.

Plures adhuc extant libri quam lectores, quam emptores.

Francisci enim Gallorum regis *bibliotheca Fontebellensis*, multis & raris, præcipue græcis, exemplaribus instructissima fertur. Laudandum est sane hujus regis institutum, qui

Bibliotheca Regis Galliæ.

qui primus in Galliis magno animo bonas literas pro movit: professores in clarissimis linguis, latina, græca, hebraica & arabica, publicos constituit: & typographum, qui optima quæque latina & græca exemplaria cuderet, fovere voluit: denique pulcherrimam bibliothecam, conquisitis undique optimis libris, instituit.

Vaticana, sive pontificis.

Vaticana etiam, sive *Palatina pontificis Romani bibliotheca*, ob incomporabiles librorum antiquissimorum thesauros multorum encomiis celebrata, quam aperuit Nicolaus quintus sub Friderico tertio Romanorum imperatore, ingentem bonorum librorum condit suppellectilem.

Florentin.

Medicum etiam *bibliotheca Florentiæ*, multis jam annis celebrata est.

Bibliothecæ Bononienses.

Bibliothecæ præterea *S. Salvatoris*, & *S. Dominici*, *Bononiæ*, non paucos optimos libros habent.

Venetor. De Bessarione vide Platinam in panegyrico divi Bessarionis Paul, etiam Jovium in Bessarione, & Volater. lib. 21.

Venetiis Bessarionis cardinalis bibliotheca est. Is Nicenus fuit, homo græcus, vir græce atque latine doctissimus, ingenii acumine, eloquentia & prudentia admiranda præditus, vir de literis optime meritus: qui & ipse multa erudite in philosophia scripsit, quæ adhuc extant: & qui erutis & vindicatis ab interitu multis optimis vetustis græcis autoribus, bibliothecam græcam triginta millibus nummorum aureorum emptam, Venetiis extruxit, ne omnino græca literatura deficeret. Sunt ibidem etiam bibliothecæ græcis & latinis codicibus insignes, ad S. Marcum, S. Antonium, S. Johannem & Paulum.

Diegi Hurtadi bibliotheca.

Diegus Hurtadus à Mendozza, vir illustris cum gentilicia nobilitate, tum doctrina & sapientia recondita, cæsareæ majestatis apud Venetos legatus, vir est ingenio celso, ac in philosophicis præsertim & mathematicis egregie doctus, & luculentam paraphrasin in totum Aristotelem insti-

instituit: *bibliothecam* is quoque *Venetiis ornatissimam habet*, ac omne genus rarissimis libris, præsertim græcis, mire instructam.

* *Fuggerorum* etiam, ac *senatus Augustani*, Vindelicorum, prædicatur studium laudandum in coëmendis ac conquirendis hinc inde optimis, in variis linguis manuscriptis, ac nondum editis hactenus, autoribus.

**Fuggerorum ac senatus Aug. bibliothecæ rar. manuscriptis græc. autor. instructiss.*

In Atho insuper monte Thraciæ, quæ Turcarum imperio subdita est, *celebratissimas bibliothecas esse*, scribunt tum alii, tum M. Antonius Antimachus: quemadmodum etiam *in Parnasso*, sive cœnobio ejus montis, multa & rara extare rumor est.

In epist. ad patrem, ubi præfat. in translationem suam Gemisti Pleth.

Ac *cœnobia* quædam monachorum *Benedictinæ professionis*, & *Carthusianæ* præcipue, bibliothecas pulchre instructas habere dicuntur.

Et *ad S. Victorem Parisiis* magnam exquisitorum etiam voluminum copiam servari fama est.

Multi etiam cardinales, episcopi, & similes illustres personæ in Gallia, Anglia ac Italia, præclaras bibliothecas habere dicuntur, refertas optimis non vulgaribus, sed selectissimis de turba cætera autoribus: unde prodeunt hactenus, sed separatim, ex Fontebellensi βιβλίων illo preciosissimo ταμιείῳ innumeri græci scriptores, historici, theologi, patres, medici, philosophi. Ac vel eo nomine Galli laude digni sunt, quod quæ inclusa longo tempore jacerunt in angulo, optimorum autorum doctissima ac utilissima monumenta, publici usus ipsi ea faciunt, è tenebris ac carcere quasi in apricum educentes.

E bibliotheca Fontebellensi, multi optimi græci autores sunt editi in publicum.

VII.

DE BIBLIOTHECIS MANVSCRIPTIS *JAC. PHILIPPI TOMASINI, EPISCOPI AEMONIENSIS.*

Præfat. in bibliothecas Patavinas, editas Utini 1636.

Bibliothecæ manuſcriptæ mihi appellantur codices ipſi, non ſine veterum auctoritate, inter quos ita Feſtus de verborum ſignificationibus. *Bibliotheca & apud græcos & apud latinos tam librorum magnus per ſe numerus, quam locus ipſe, in quo libri collocati ſunt, appellantur.* Nec ab eo diſſenſit non infimi ſubſellii philologus Auſonius Popma, cujus hic verba ponam ex libro de diff. verborum: *bibliotheca ſignificat locum vel armarium, in quo libri aſſervantur: interdum etiam ipſos libros.* —— Et quid bibliotheca, niſi omnigenæ eruditionis officina? Suo id exemplo æterna multiplicis doctrinæ memoria oſtendit *Photius*, qui diverſorum, quos viderat, ſcriptorum veluti nucleum exhibet. Variam proinde eruditionem ſuorum operum indicaturi *Apollodorus & Diodorus*, iis non immerito bibliothecæ titulum præſcripſerunt.

Regiam hic opulentiam inter alios nobilitavit inſigne *Philadelphi* & Alphonſi Aragoniæ ſtudium. Aſinium Pollionem primam in orbe ex manubiis publicaſſe bibliothecam tradit Plinius nat. hiſt. lib. 7. c. 30. Sed in Urbe verius, quam in orbe. Sic enim de bibliothecis idem lib. 35. cap. 2. *Aſinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum reipublicæ fecit.* Quam gratum hoc fuerit patriæ officium vel inde liquet, quod poſtea Romani bibliothecas in provincias miſerint; in ſuburbanis, in villis, in thermis aperuerint. Imo teſte

teste Suetonio Julius Cæsar, merum alias martem spirans, Pompejo Macro bibliothecas ordinandas delegavit. Bibliotheca quoque græcas & latinas, quas maxime posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum. Nec apud impp. fuisse paucos, quibus incumbebat munus ordinandi bibliothecas, præter alia manifestant veteres tituli. TIB. CLAVDIVS AVG. LIB. HIMENAEVS, MEDICVS. A BIBLIOTHECIS. Item: L. VIBIVS AVG. SER. PAMPHILVS SCRIBA LIB. ET A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS. Et C. JVLIVS C. L. PHRONYMVS A BIBLIOTHECA GRAECA. Rursus: C. JVLIVS FAELIX A BIBLIOTHECA GRAECA PALAT. Quos omnes è cæsarum domo fuisse erudito *de Servis* commentario credidit promus ille antiqq. Laurentius Pignorius. Sed amplissimas etiam fuisse ejusmodi bibliothecas, ut credam, facit distinctum latinæ ac græcæ nomen: etsi non ignorem, eam curam servis aut libertis antiquitus fuisse creditam, ut librorum potius custodiæ ac nitori præessent, quam ut dominis quicquam ad studia conferrent, quibus è domesticis alii ab iis diversi adhibebantur. Singularem porro in literas affectum monstravit Domitianus, qui incendio absumtas impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent, emendarentque. Et quidem bibliothecas olim in Octaviæ porticu fuisse, narrat Suetonius de claris grammat. Templo etiam Apollinis addita porticus, cum bibliotheca latina græcaque, teste eodem, Augusto, c. 29. ut ex divinis ingeniorum monumentis surgens mortalium gloria in deorum tutela esset. Atque inde factum, ut imagines magnorum in bibliothecis servarentur: Qualiter M. Varronis in bibliotheca unius viventis positam fuisse imaginem testatur Plinius nat. hist. 7. 30.

De-

Declinante postea imperii Rom. potentia, non sine numinis providentia libris in cœnobia, veluti literarum tunc temporis seminaria, translatis, major ipsorum pars barbarorum immanitatem effugit. Etenim ingenio quam benignitate verius bibliothecas comburi vetuit Gothorum rex, cum miles lectione contabesceret. Aequiori postea fato latentes hujusmodi thesauros excepit Longobardorum victoria: cujus moderationi merito priscæ eruditionis fastigia adscribimus. Obscura quidem ea, nisi Agellii, Laërtii, Plinii utriusque, Polydori Virgilii, aliorumque posterioris ævi, amissam fere tot scriptorum cognitionem nobis transmisissent, tandemque renascente litetatura, ultimam veluti manum ejusmodi tentamento addidissent avorum nostrorum memoria Viri industrii, in primis Plinius ille Germaniæ, reliquorum veluti coryphæus; cujus exemplo postea alii diversarum regionum bibliothecas, magno rei literariæ incremento, posteris tradiderunt, paucos tamen codices manu exaratos, cum ij potius apud religiosas familias laterent, quam in aulis principum, aut publicis gymnasiis extarent.

Enim vero ex hoc latifundio, in quod sua multi dona præcipue ex testamento contulerunt, longe lateque sparsa sunt eruditionis semina. Exarati quippe Longobardorum opera codices latini, qui numero erant pauci, per manus posterorum tandem in eum creverunt numerum, quo nunc passim regum ac principum arces superbiunt, quo gymnasia jure gloriantur. De quorum vita ac fama sane actum esset, nisi liberalis scientiæ jucunditas infandos labores mitigans, per ætates ejusmodi cimelia nuperis seculis transmisisset, quibus ingenii humani solertia mirabili typorum compendio in nostra desideria adeo se profusam præbuit, ut jam verius delectu quam copia sit opus.

Græca

Græcarum vero literarum prorsus nunc interiisset memoria, nisi Bessarion, Lascaris, Moschopulus, aliique ejus nationis viri, fractas veluti naufragii tabulas ab inundatione Ottomannica secum in Italiam abduxissent: qui piorum pontificum, serenissimæ reip. Venetæ, & magnanimorum Etruriæ principum liberali hospitio excepti, intermissum longis temporibus elegantissimi sermonis usum in Latium reduxerunt. Horum fama cum excitasset aliarum regionum ingenia, non modo sese eo contulerunt viri eruditi, sed istorum heroum exemplo allecti, nullis non impensis, è Græcia barbarorum armis pene desolata, græcorum monumenta solicite quæsiverunt. Nobilissimæ itaque gentis calamitate, græcis non secus ac primitus latinis voluminibus istruebantur bibliothecæ, quæ non minori diligentia hodie in dies augentur. Imo vix ullus est orbis angulus, etiam sub rigido septentrione, ubi non aliquod reperiatur hujus curiositatis vestigium, quodque (dictu mirum) eos non antevertat, quibus tantæ curæ initia debet. Verum nec sua hic fraudari gloria fas est christiani nominis arma, quæ primum Hispaniarum Victoria, ac denuo gloriosissimi imp. Caroli V. in Afros prospere conversa, Arabum disciplinas, quarum jam aliquem gustum cum transfuga medicorum cohorte, persenserat Gallia, in Hispania ac Italia, cæterisque Europæ partibus, in ditionem redegerunt. Negociatoribus etiam hic non infimæ laudis est societas, quorum industria Aegyptiorum tabulas notasque miramur. Neptuniam vero Belgii prolem nulla silebit ætas. Hujus namq; beneficio incondita Aethiopum, Chinensium, Japonensium, ac remotioris Indiæ volumina, mansuetioribus musis socio fœdere juncta, à multis nunc intelliguntur. Magnifica igitur & vere splendida hæc possessio, quæ licet ma-

joris fuerit impenſæ, exercitationis tamen animi non pauci inter eruditos ſemper viſi, qui ejusmodi theſauros magna ingenii contentione affectarunt, etiam intra privatam ſortem, animo principibus nihilo inferiores.

PRIVATAE quidem bibliothecæ primordia Ariſtoteli adſcribuntur. Platonem tamen etiam tenui fortuna tres Philolai Pythagorici libros M denariis mercatum, auctor eſt JCtus Gallus antiq. Rom. l. 4. part. 2. cap. 16. Nec ſimilem curam ſuperiorum ætatum diſſimulant ſcriptores varii. Quin imo ſic in eam animat poëta:

Sit bona librorum, & proviſæ frugis in annum
Copia ——

Haſce tamen ap. lautiores non anguſtis admodum cancellis fuiſſe arctatas, ſatis oſtendunt hæc Tullii verba lib. 9. fam. ep. 4. *Si hortum in bibliotheca habes, nihil deerit.* Quem penſibilem fuiſſe, aut mediam bibliothecam diſtinxiſſe, veriſimile eſt. Talis forſan erat Luculli bibliotheca in Tuſculano, ejusdem viri conſularis diſputatione *de finibus* celebrata. Mirificum vero ejus inde conſpicitur ſtudium, quod lib. 4. epiſt. 9. ad Att. ſcribat, in Pompejano prope Puteolos *ſe paſci bibliotheca Fauſti.* Imo aperte fatetur lib. III. epiſt. 77. ſibi bibliothecam eſſe multorum nummorum, quam Dionyſius ſervus tractarit, præter quem ex lib. v. ep. 9. famil. anagnoſten ſibi memorat P. Vatinium ſervum; quem Dionyſius Gothofredus IC. doctiſſ. ad ejusdem libri epiſt. XI. libertum annotat. Eandem fuiſſe multis rei librariæ ſolicitudinem, notum eſt ex Tullii ad Quintum F. lib. III. epiſt. 4. *De bibliotheca tum græca ſupplenda, libris commutandis, latinis comparandis, valde vellem iſta confici, præſertim cum ad meum quoq; uſum ſpectent. Sed ego mihi ipſi iſta per quem agam non habeo, Nec enim venalia ſunt quæ quidem placeant, & confici*

nisi per hominem & peritum & diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar. Quæ vero hodie tanti apparatus memoria? Vetustas est, quæ tam ingentia molimina premit sæpiusque delet, quorum inevitabilis est profecto interitus, nisi ea fidelibus literis consignentur.

Bono itaque eventu in publicum veniat eorum notitia, qui hactenus in urbe nostra Patavina intra sacras ædes & privata civium limina jacuerunt. Singulos propriis ubique titulis fideliter servatis habes, &c.

Quod vero minima quæque etiam exigui momenti, imo quæ risum forsan merentur, persecutus sim, id ingenuitati meæ adscriptum velis, temporum vero injuriæ, quod frequentior librorum numerus tuæ expectationi non respondeat. Etsi enim publicis quidem bibliothecis parum discessisse suadet eorum vigilantia, quos in cœnobiis deprehendi ejusmodi majorum deposita satis arcte servasse: ii tamen in rem nunquam fuerunt ita intenti, quin diversis partibus aliquid amiserint. Privatis hercle minorem longe diuturnitatis securitatem sibi polliceri licuit; quarum possessio sæpe ab unius heri arbitrio, sæpe à fato pendebat. Quosdam enim ita faciles ac intempestive verecundos finxit natura, ut alienæ petitioni obniti turpe suoque genio indignum arbitrentur; unde sua quoque omnibus indulgent; Alios ita duros invenies & suspicionum plenos, ut suo, si diis placet, thesauro vigilantius quam draco incubantes, non alia vi quam auri expugnentur. Atque ut isti merito laudandi ob liberalem communis boni usum, modo sibi ejus possessionem reservent: ita ii ignari atque ignavi hoc saltem nomine si non alio tolerandi, qui vel inviti ac nescii bonas literas juvent.

Utroque hoc mortalium genere temporis diuturni-

tate tantum profecit, ut ſagaciſſimus erat, illuſtriſſ. vir, *Joh. Vincentius Pinellus*, ut quicquid veterum librorum in urbe noſtra, aut vicinis oppidis, eſſet rari, precio precibusque in ampliſſimam ſuam bibliothecam accumularet. Verum quemadmodum omnia in hoc univerſo varias experiuntur viciſſitudines, ita cum ea defuncto Pinello ab hæredibus Neapolin deveheretur, à piratis intercepta, veluti exigui precii merx cartacea, Neptuno ſacrabatur. Recuperata demum pars melior eximia Federici Borromei archiepiſc. Mediolanenſis liberalitate, bibliothecam Ambroſianam, optimorum librorum delectu ac numero celebrem, amplificavit. *Jacobus Barocius* etiam nobilis Venetus ſtupendi ingenii vir in conquirendis calamo ſcriptis maximeque græcis occupatus, non exiguum rariorum librorum numerum Patavii congeſſit, qui paucis ab hinc annis illuſtriſſ. comitis *Thomæ Arundellii* ſumptibus Britanniæ regno non parum ornamenti attulerunt. Sereniſſ. Mantuæ ducum non minori ſtudio, qui hinc diſtracti fuerunt nondum publicati ſcriptores mutata rerum facie, eruditiſſ. *Jacobi Gaſſarelli* noſtri cura, jam in Gallia apud heroëm literarium eminentiſſimumque principem ARMANDVM Richileeu cardinalem ſecuri hoſpitantur. Mitto, quam noſtra bibliopolia quotidie excutiantur ab exteris, quorum animos ea verſat cura, ut peregrina & precioſiora undique conquirant, non ignari quantum interſit libros poſſidere, venerandæ antiquitatis calamo ſcriptos, maximeque archetypos.

Hæc Tomaſinus dicto loco: cui ibidem in BIBLIOTHECIS PATAVINIS MANVSCRIPTIS publicis primo loco eſt, *bibliotheca cœnobii S. Johannis in Viridario*, manuſcriptis codicibus inſignis, qui relicti ex teſtamento clariſſ. virorum & in primis *Petri de Montagnana*, *Baptiſtæ de Li-*

de Lignamine, *Joh. Marchanovæ*, *Hieremiæ de Montagnone*, *Galatii de Capitibus*, *Listæ* & aliorum, à pag. 1. ad 41.

Secundo *bibliotheca cœnobii S. Justinæ* pervetusta, quam à *D. Placido Pavanello Patavino* monacho, Eugenii IV. familiari & episcopo Torcellano studiose conquisitam, huic cœnobio legatum fuisse, auctor est *Jacobus Cavacius* lib. V. Historiæ hujus cœnobii auctor fidus. Eam postea diversis JCtorum scriptis auxit *Jacobus de Zocchis* juris professor publicus, additis in chori substructionem ex testamento mille ducatis aureis. Quæ in hunc usque diem insigni diligentia conservatur. à p. 42. ad 50.

III. *Bibliotheca S. Augustini.* Spectabile templum D. Augustino ecclesiæ doctori dicatum patres ordinis prædicatorum obtinent, olim à civibus Patavinis anno 1227. constructum; ubi sepulchra principum Carraviensium spectantur. Huic vicinum est cœnobium ingens in cujus bibliotheca præter numerosos auctores editos, pauci tantum reperiuntur codd. MSti, quorum Indicem exhibemus. Hinc longa annorum serie viri celeberrimi in publicis scholis docentes prodierunt. Hic etiam celebris ille philosophus germanorum *Albertus* multiplicis scientiæ fama merito *Magnus*, aliquandiu ingenium excoluit; cujus cellula bibliothecæ contigua est. Ipsam vero bibliothecam primorum hujus ordinis virorum imagines exornant; inter quos agmen ducit *D. Thomas*, cui *Albertus M.*, *cardinalis Cajetanus*, accedunt, cæterique de publico bene meriti. &c.

Memorantur insuper ibidem minores bibliothecæ aliquot publicæ, ut;

D. Mariæ Prataleæ octavo ab urbe lapide. p. 48.

S. Antonii in cœnobio templo D. Antonii adjacente, imaginibus insuper clarorum virorum exornata. à pag. 52. ad 64.

S. Francisci in cœnobio fratrum conventualium minoris observantiæ juxta templum S. Francisci, à p. 65. ad 69.

S. Vrsulæ per exigua, fratrum conventualium extra portam qua Venetias itur mille passuum ab urbe Patavina distante cœnobio.

RR. Patrum ordinis eremitanorum, cujus melior pars temporis injuria abalienata, reliquis tinea corrosis. à pag. 71. ad 79.

Bibliotheca D. Mariæ montis Ortoni, septimo ab urbe lapide editis libris mediocriter instructa, pauci è multis calamo exaratis hodie super sunt. Inhabitant fanum B. virgini dicatum D. Augustino nomen professi patres.

Bibliotheca RR. clericorum regularium, qui vulgo Theatini. Pulcherrima sane est bibliotheca RR. patrum Theatinorum structura, imaginibus, & frequentia librorum typis editorum; quam pia ipsorum cura quotidie auget novis codicibus. Locupletata plurimum ea fuit, anno 1625. munificentia viri CL. *Pauli Benii*, qui testamento suam bibliothecam suasque meditationes ei ascripsit. Pauci codices MSti hic videntur. *Hucusque bibliothecæ Patavinæ publicæ ap. Tomasinum.*

In Bibliothecis vero VENETIS publicis & privatis ejusdem 1650. Vtini editis, principem locum obtinent *bibliothecæ Venetæ S. Antonii* libri MSti. Supra ostium legitur: *Dominicus cardinalis Grimanus Antonii principis filius bibliothecam hanc publicæ posuit commoditati.* à pag. 1. ad 20. Secundum bibliotheca SS. Johannis & Pauli Venetiis. Supra ostium: *Viris illustribus condita domus* à pag. 20. ad 56. Reperias inibi & *Barocianæ* bibliothecæ catalogum, à pag. 64. usque ad 92. &c.

IIX.

IIX.

DE SERVIS QVORVNDAM REI LIBRARIAE ADHIBITIS

LAVRENTII PIGNORII.

DOMINI, si qui erant, qui literis operam darent, illi mancipia erudita habebant, quibus ad studia uterentur. Hoc nos agmen servilis eruditionis diducemus, & exordiemur ab illis, qui BIBLIOTHECIS præerant. Instruebantur enim & apud privatos bibliothecæ. Seneca: *quid habes cur minus ignoscas nomen marmore atq; ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent, tituliq;? Apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid orationum historiarumq; est, & tecto tenus extructa loculamenta, jam enim inter balnearia & thermas, bibliotheca quoq;, ut necessarium domus ornamentum expolitur.* Hujusmodi servum, ut sibi restituendum curet petit à Sulpitio Cicero; *Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit.* Apud impp. erant non pauci quibus hoc munus incumberet: cum hæc ordinandarum, & publicandarum bibliothecarum cura, non omnino videretur imperii majestatem dedecere. In veteribus elogiis legebantur olim: C. JVLIVS C. L. PHRONYMVS A BIBLIOTHECA GRAECA. C. JVLIVS FALYX. A BIBLIOTHECA GRAECA PALAT. TI. CLAVDIVS. AVG. L. HYMENEVS MEDICVS. A BIBLIOTHECIS. L. VIBIVS AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS. Et hi omnes videntur fuisse è domo cæsarum, apud quos liberti etiam A STVDIIS in precio fuerunt. Suetonius:

[Margin: Commen. de servis; p. 108. & seqq. edit. Patav. 1656. — De Tranquill. c. 9. — Lib. 13. Epist. 77.]

ac su-

Sueton. Claudio cap. 28. *ac super hos Polybum à studiis, qui sæpe inter duos consules ambulabat.* Eodem munere functus est apud eundem Claudium Lemnus nescio quis, cujus mentio extat in veteri inscriptione:

TI. CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI CLAVDII
AVGVSTI LIB.
A STVDIIS.

Et hujusmodi servos in privatorum familiis fuisse statuamus necesse est. Huic studiosorum cohorti adscribemus & ANAGNOSTEN. Vatinius: *dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardeis esse.* Plinius: *Encolpius quidem lector; ille seria nostra, illæ deliciæ, exasperatis faucibus pulvere, sanguinem rejecit.* Sequentur excipientes dictata dominorum, vel aliud quidpiam scribentes AMANVENSES, & A MANV. Suetonius: *Thallo à manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Hi fuerunt pretiosi & excepti, etiam quando servorum numerus dominis indicebatur. SCRIPTORES appellavit Cicero. Eandem operam navabant NOTARII & NOTARIAE, quorum commendatio in velocitate excipiendi fuit. Manilius:

lib. 1. fam. lib. 8. c 1. Augusto cap. 67. Sueton. Nerone cap. 46. lib. 1. de orat. & in Bruto. l. 4.

Hic & scriptor erit felix, cui littera verbum est,
Quiq; notis linguam superet, versumq; loquentis
Excipiens, longas nova per compendia voces.

Epist. 90. Seneca: *quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio; & celeritatem linguæ manus sequitur? vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Quæ Senecæ verba impetunt dictum Isidori, qui asserit, Senecam cotracto omnium, digestoque & aucto numero opus effecisse in quinque millia notarum. D. Hieronymus: *jam de misso synthe-*

lib. 1. Orig. cap. 21. ad Julian.

synthemate equus publicus sternebatur, & nobilem juvenem puniceа indutum tunica baltheus ambiebat, & tamen ille, apposito notario, cogebat loqui, quæ velociter edita velox consequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent signa verborum. Notarius tamen quandoque pro amanuensi sumitur. Plinius: *Notarium voco, & die admisso, quæ formaveram dicto. Abit, rursusq; revocatur, rursusq; remittitur.* D. Gregorius: *Tunc vir Dei accersito notario dictavit, dicens, Sabinus Domini Jesu Christi servus commonitorium Pado.* Alii ab his NOTARII PRINCIPIS, quorum meminit Cassiodorus; erant enim principi à secretis, ut olim scribæ apud græcos. Notariorum erant thecæ, quibus includebantur styli & pugillaria. Ammianus: *maxime, cum hæc eadem numerantes, notarii prope XXX. assistant cum thecis, & pugillaribus tabulis.* Pugillarium vero forma fuit oblonga & quadrata, eminenti quodam margine circumcirca conclusa, ut vidimus Romæ in veteri arca sepulchrali in hortis Cyriaci Matthæi. Materies frequenter fuit è citro, buxo, acere, ebore, membranis; quibus omnibus ceram coloratam superinducebant. Ovidius:

Lib. 9. ep. 36.

Dialog. lib.

lib. 6. 16.

Corn. Nepos in Eumene.

Lib. 18.

lib. 1. amor. el. 12.

Ite hinc difficiles, funebria, ligna, tabellæ,
Tuq; negaturis cera referta notis,
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,
Melle sub infami Corsica misit apis.
At tanquam minio penitus medicata rubebas,
Ille color vere sanguinolentus erat.

Althelmus in ænigmate de pugillaribus:

Editus à Delrio in octastichis ænigm. I.

Melligeris apibus mea prima processit origo,
Sed pars exterior crescebat cetera silvis,
Calceamenta mihi tradebant tergora dura.
Nunc ferri stimulus faciem proscindit amœnam
Flexibus, & sulcis obliquat ad instar aratri.

 Ta-

Tabellæ idem significarunt, quoniam pugillar ut plurimum ligneum erat. Prudentius in hymno de Cassiano martyre, in quo antiqua scribendi ratio ad amussim explicatur:

Perísteph.

Conjiciunt alii lapides, inq; ora tabellas
Frangant, relisa fronte lignum dissilit:
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

Calami vicem in his gessit graphium sive stylus; tum è ferro tum ex ære, ejus plane formæ, quam hic nos damus, illustraturæ dubio procul Symposii & Althelmi ænigmata, nec non & subscripta Prudentii carmina. Minusculum illud apud me est, majus illud alterum apud Aloys. CORRADINVM. Symposius;

Aenigm. 1.

GRAPHIVM.

De summo planus, sed non ego planus ab imo,
Versor utrimq; manu, diverso & munere fungor.
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

Althelmus in ænigmate, cui titulum præfixit de elementis:

in heptastichis.

Nascimur ex ferro, rursus ferro moribundæ
Nec non & volucris penna volitantis ad æthram.

Prudentius in passione Cassiani:

Inde alii stimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur;
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur.
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.

Symposius expressit sane apte. Acumen enim graphii, si in imo digitis complectamur, ut poscit usus, ejusdem planities seu latitudo (ut loquitur Gregorius Turonensis)

nensis) erit in summo. Althelmus ferrum utrobique appellat, ut vidimus; & ferri stimulum non ineleganter quia mucrone scribebant, planitie scriptum abradebant. Columella: *in horto.*

Nomine tum Grajo ceu littera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri;
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis actu
Deprimitur, folio viridis, pede candida, beta.

D. Hieronymus: *stultus ego, qui me putaverim hæc absq; philosophis scire non posse, qui meliorem styli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ scriberet.* (ad Domnionem.) Recondebatur autem in thecam, quam *graphiarium* appellat Martialis, ut innocens haberetur, & asserit præter Suetonium Gregorius Turoniensis. (lib. 14. Claudio c. 31. lib. 1. de mirac. D. Martini cap. 14.) Stylus autem mucronem & aciem graphii unico nomine complectebatur. Quintilianus; *cum vero jam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas* (literas videlicet) *tabellæ quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stylus.* (lib. 1. c. 1.) Et hinc usurpant non raro scriptores *stylum infigere, stylo appetere, stylum vertere, & stylo depascere.* Fuit a. graphium ad cædem etiam aptum. Ita Cæsar *Cassii brachium arreptum grapho trajecit:* Caligula, *cum discerpi senatorem concupisset, subornavit qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes invaderent, graphiisq; confossum lacerandum cæteris traderent.* (Sueton. Cæsare cap. 82. Cajo cap. 28.) Populus Romanus *Erixionem equitem Romanum, quia filium flagellis occiderat, in foro graphiis confodit:* & *Cassianum martyrem pueri stylis confecerunt.* (Seneca 1. de Clem. c. 14. Prudent. loco citat.) Fuit autem *ferreum* & *æreum*, ut vidimus: *aureum* enim, cujus meminit Marcellus medicus, veluti & *chrystallina, & onychina pugillaria* extra ordinem fuerunt. (Turon. de gloria mart. lib. 1. cap. 43.)

LIBRARII quos nonnulli ANTIQVARIOS dicunt, à libris arborum appellati sunt ideo, * quia in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum; ante usum (D. August. ferm. 44. de verb. Dom. lib. 2.)

 cartæ

de stud. liber. ar. Hieron. ad Florent. Isido. l 6. orig. cartæ vel membranum antiqui scriberent: unde TABELLARII portitores literarum. Extabat in Musæo Carpensi Romæ antiquus titulus,

* D. Hieron. ad Niceam

JVCVNDVS
DOMITIAE
BIBVLI LIBRAR.
AD MANVM.

lib. 12. ad Atticum lib. 5. Ep. 15. & 17. ad Tiron. Librarii aliquod munus indicat nobis Cicero: *& erit gratius, si modo non libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* Ideoq; Sidonius Apollinaris *scribam* vocavit, *& bibliopolam.* Cicero filius: *sed peto à te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem græcus, multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis.* Erant in ministerio & LIBRARIAE. Antiquus lapis:

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

Sat. 6. Juvenalis; —— *periit libraria, ponunt*
Comsetæ tunicas. ——

eccl. hist. lib. 6. cap. 17. Eusebius diserte scripsit, Origeni ad manum fuisse librarios, una cum puellis, quæ scite & concinne scriberent. Quo fit, ut credam antiquo interpreti Juvenalis, & veteri nescio de dignosc. & cur. an. morb. c. 9. cui juris civilis epitomatori, qui pondera hic & libram substituunt. Tetigit hæc eleganter Galenus, cujus hæc sunt latine reddita; *nam quod ad uos attinet, decima fortasse proventuum nostrorum pars impenditur, reliquæ vero partes novem substantiæ ipsi adjiciuntur: attamen video te ne in res quidem egregias insumere quidquam audere, non in coëmptionem comparationemq; LIBRORVM: non in eos qui SCRIBANT exercendos, sive NOTIS & SIGNIS id faciant, ut CITIVS; sive exquisitis FIGVRIS ut PVLCHRIVS: sicut ne eos quidem, qui EMENDATE*

DATE RECTEQVE legant. Inserviebant librariis GLVTINATORES, conglutinandæ nimirum papyro operam impendentes. Legebatur olim Neapoli:

MANNIO STICHIO
TIBERII CAESARIS
GLVTINATORI.

In veteri glossario glutinator κολλητής est. Meminit & Cicero; *etiam velim mihi mittas de librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cætera administris.* ad Atticum

Chartæ autem ipsæ papyro & glutino constabant; ideo apud Spartianum Firmus tyrannus jactabat, *exercitum se alere posse papyro & glutino,* quod chartarum immensam quantitatem haberet. Ceterum de charta & glutino late Plinius. Neque vero tantum in chartis sed & in membranis glutinis usus fuit, si antiquo Persii glossatori credimus qui bicolorem membranam ita interpretatur, quod pars altera seu facies membranæ crocea esset, glutinata altera. Libris materiam cortex olim, papyrus, carbasus, ovilla tergora, lintei, plumbum, & alia suppeditarunt, ut cuilibet animadvertere promptum est. Iique quod circum ligneum teretem surculum vel osseum convolverentur, *volumina* sunt appellata. Surculum ipsum seu surculi capitula, quæ & cornua, *umbilicum* vocabant. Porro de his, & de universa scribendi ratione contexuit insignem commentarium VINC. CONTARENVS noster, quem ille non diu patietur à studiosis desiderari. *Librariorum administri,* quos vocat Cicero, videntur fuisse PVMICATORES MALLEATORES, ORNATORES. De pumice Catullus, Tibullus, † Plinius: de cetero ornatu * Domitius Vlpianus. At quoniam minium in voluminum quoque scriptura usurpabatur, inde nomen factum est servo MINICVLATORI. Persius:

lib. 13. c.12.
Sat. 3.
1. epigr.
lib. 3. el. 2.
† lib. 36. c. 11.
* L.L. de leg. 3.
Sat. 5. leg.

vit. de liber. caus. L. 9. de oper. libert.

Excepto si quid Masuri rubrica notavit.

Vbi glossæ veteres: *rubricas vocat minium, quo tituli legum annotabantur.* Aut ut viventes bibliothecas aliquando aggrediamur, hæc erit statio GRAMMATICORVM, quos Cornelius Nepos, & Messala Corvinus litteratos & literatores appellant. Quo videndum an respexerit idem Cornelius, cum in vita Pomponii Attici scribit, ejusdem familia fuisse pueros litteratissimos. Hujusmodi fuit Mecœnati C. Melissus, *Spoleti natus ingenuus, sed expositus, qui cum se gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam asserente matre, permansit tamen in statu servitutis, præsentemque conditionem veræ origini anteposuit.* Horum æstimationis index erit Daphnis ille, cujus meminerunt Plinius & Suetonius.

Sueton. de illustr. gram.

Sueton. lib. cit.

DE STA-

IX.

DE STATUIS ILLUSTRIUM AC CUMPRIMIS DOCTORUM VIRORUM IN VETERUM BIBLIOTHECIS,

EMUNDI FIGRELII.

Bibliothecas in urbe plures fuisse, inque iis statuas poni & imagines, ex monumentis illius ævi didicimus. Quantum igitur de illis memoria suppeditat, hic proferemus. Ponebantur ibi præcipue statuæ doctorum. Hoc institutum Asinio Pollioni tribuunt Plinius, cujus verba mox adducam, & Isidorus qui de Pollione: *Primus*, inquit, *Romæ bibliothecas publicavit, græcas latinasque, additis autorum imaginibus.* Eorum vero, quorum statuæ in bibliothecis ponebantur, quidam vivi sic dicabantur, quamquam initio raro. Plin. lib. VII. 30. *Marci Varronis in bibliotheca, quæ prima in urbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est.* Nisi quod deinceps consuetudo illa sic satis increbuit. Nam nobilium poëtarum, qui carmina sua recitarunt, imagines in æde camenarum solitas collocari, subindicat Horatius sermon. lib. I. sat. IV. ubi indignatur hunc honorem contigisse Fannio Quadrato poëtæ ineptissimo, quem senatus imagine ultro oblata in numerum bonorum authorum recipi jussit, ne sæpius cogeretur ejus nugas audire; cum ipsi Horatio non mereri hanc gratiam liceret, satyras scribendi, quas recitare in publico non auderet. Lib. de statuis illustr. Roman: cap. XXIV.

—— —— beatus, inquit, Fannius ultro
Delatis capsis, & imagine. ——

Ad quem locum commentator vetus. *Qui erat in authoritatem receptus, ejus imago ponebatur inter poëtas.* Sidonio

donio Apollinari etiam vivo hoc contigiſſe, ipſe innuit lib. IX. epiſt. 16.

Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter authores utriusq; fixam
Bibliothecæ

græcam pariter & latinam intelligens. Pleriſque tamen poſt mortem ita ſtatuebantur, ex ea cauſa, ob quam etiam antiquos, & qui ante ætatem noſtram fuere, ſcriptores, magis quam recentes & vivos, quantumvis bonis, æſtimamus. Viventes enim comitatur invidia, quæ poſt fata obmuteſcit, ſecundum illud Martialis,

Eſſe quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?
Et ſua quod rarus tempora lector amat?
Hi ſunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.

Deinde, quorum ora vultusque non extabant, fictis tamen figuris exprimebantur. Plin. XXXV, 3. *Mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor, multoq; honeſtius quam mereri, ne quis ſuas expeteret. Non eſt prætereundum, & novitium inventum, ſiquidem non ſolum ex auro argentove, aut certe ex ære, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur. Quin imo etiam quæ non ſunt, finguntur, pariuntq; deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero evenit. Quo majus, ut equidem arbitror, nullum eſt felicitatis ſpecimen, quam omnes ſemper ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Qui locus ſimul indicat, ſolenne fuiſſe ibi dicari authores, quorum ſcripta & libri ibidem extarent, inprimis autem veteres. Magna itaque cura eorum imagines ſi haberi poſſent, conquirebantur Plinius Nepos, epiſt. lib. I. de Saturnino. *Si inter eos, quos nunquam vidimus floruiſſet, non ſolum libros ejus, verum etiam imagines conquire-*

quireremus. Fuit ergo doctrina & literarum gloria in illis locis imprimis spectata, considerata parum reliqua vitæ conditione. Vnde Numerianus cæsar, cum ei statua in bibliotheca ponenda esset, non imperatoriæ dignitatis nomine, sed ob ingenii & eloquentiæ laudem ibi locum invenit. Flavius Vopiscus de eo. *Hujus oratio tantum habuisse fertur eloquentiæ, ut illi statua, non quasi cæsari, sed quasi rhetori decerneretur, ponenda in bibliotheca Vlpia cui subscriptum est.* NVMERIANO CAESARI, ORATORI SVIS TEMPORIBVS POTENTISSIMO. Ita ante eum Trajanus, qui Vlpiam bibliothecam instituit, artiumque & ingeniorum præstantium benignus patronus extitit, Prusæ in Bithynia provincia statuam in bibliotheca habuisse traditur à Plinio. Nepot. epist. LX. *Ipse*, inquit, *in re præsenti fui, & vidi tuam quoque statuam in bibliotheca positam.* Vt ex eo simul cognoscamus, & eundem morem viguisse in provinciis, qui Romæ fuit, & Trajanum maxime ingenii caussa in illo loco dicatum. Trajanus doctrina præstabat: Dacica enim scripsit. Ex quorum lib. I. Priscianus in VI. aliquid in rem suam adducit. Cæterum, ut dixi, non publicæ tantum bibliothecæ sic ornabantur; sed privatam quisque suam docti, non libris solum, sed & hoc genus statuis & imaginibus instruxere, quo simul & suum erga honestas literas amorem testarentur, sedes illarum exornando, & ipso aspectu vultuum qui doctrina claros celebresque homines referebant, illi ad similem sapientiæ virtutisque gloriam acquirendam incitarentur. Quo fine non veterum tantum, sed coævorum etiam, quos ob virtutem & amicitiam imprimis colebant, imagines sic statuebant. Ideo Martialis gloriatur, quod imaginem ipsius Stertinius, quem avitum nominat, *ponere in bibliotheca sua voluerit*, præf. ad lib. IX. epigram. Quin laudi hæc cura & honori erat apud veteres. Contra vero pene ridi-

culum stolidumque habitum fuit, si quando indocti, ut domi viderentur, non solum omnis generis scriptores librosque falsa significatione doctrinæ conquirerent, sed sibi etiam philosophorum veterum imagines ac statuas in bibliothecis suis collocandas coëmerent. Tales hypocritæ à Juvenale satyr. II. salse irridentur ubi ait.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & bachanalia vivunt.
Indocti primum: quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenies. Nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

Ex quo loco, præter ea quæ dicta sunt, & illud observamus, quod non solum ex metallis, sed etiam gypso fierent statuæ, quæ in bibliothecis locabantur, pro facultatum cujusque modo. Deinceps & inde conjicere licet, quod non semper ad justam magnitudinem effictis statuis suas bibliothecas ornarint antiqui, sed non raro minores adhibuerint, quas pluteis imponebant, ut ad hunc locum observat doctissimus Lipsius, in suo de bibliotheca syntagmate. Fuit enim pluteus tabula obliquata, & uno sui latere ita subrecta, ut libri impositi commodius inservirent oculis legentium. Super talibus pluteis videtur voluisse poëta collocatas fuisse interdum has statuas, sive iconicas, sive hermæas, sive capite solo vultum doctorum referentes. Huc forsan respexit Tullius ad Attic. scribens l. 1. epist. 9. cum ipsi mandaret, *plutealia sigilla duo.* Sic enim forte melius legitur, quam *putealia sigillata.* Scilicet quæ apta essent imponi pluteis. Cæterum & hoc monere in transcursu lubet, quod de statuis dictum est, id ipsum etiam, ut partim ante monitum, & loca initio adducta probant, de pictis imaginibus doctorum in biblio-

thecis

thecis locatis intelligi debere. Hoc Seneca vult de tranquillit. cap. 9. Luxum tamen improbat. *Jam enim*, inquit, *balnearia & thermas, bibliotheca quoq; ut necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem plane, si è studiorum nimia cupiditate oriretur. Nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum in speciem & cultum parietum comparantur.* Aliquando expressius illud ipsum Plinius. Nep. lib. iv. epist. 28. indicat. *Herennius*, inquit, *Severus, vir doctissimus magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis, & Titi Cassii, petitque si sunt istic, ut esse credibile est, describendas pingendasque delegerem.* Simile quit innuit Cic. ad Attic. iv. 9. *Malo*, inquit, *in tuæ illa sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quam in istorum sella curuli.*

De imaginibus talibus forte intelligendus est & Suetonius Tiberio lxx. *Fecit & græca poëmata, imitatus Euphorionem & Rhianum & Parthenium, quibus poëtis admodum delectatus, scripta eorum & imagines publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos authores dedicavit.* Solebant quoque veteres editis voluminibus sive rebus gestis, sive sapientia & doctrina illustrium hominum, non laudes solum, sed imagines etiam, orisque formam ad posteros transmittere. Talia volumina M. Varronem & Atticum edidisse, Plin. xxxv. 2. testatur. *Imaginum*, inquit, *amorem flagrasse quondam, testes sunt & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro, benignissimo invento, insertis voluminum suorum fœcunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere.* Varronis isti libri, *hebdomades*, à septem descriptorum in illis centuriis, item, *de imaginibus*, duplici titulo, more librorum Platonis inscripti fuere. vid. Lud. Carrion emend. II, 14. Præter Plinium, etiam operis ab Attico editi me-

minit Cornelius Nepos in ejus vita, quem, ait, *librum composuisse de viris illustribus: atq; versibus non amplius quaternis, quinisq; sub singulorum imaginibus facta, & magistratibus eorum descripsisse.* Hæc ideo hic referre operæ precium duxi, ut illis satisfieret, qui mirari possent, unde similitudinem figuramque hominum ab ultima vetustate depromerent illi, quos studio tali flagrasse, & statuis expressisse jam dudum vita functos memoriæ veteres produnt. Quod jam de bibliothecis dictum est, velim de academiis etiam & gymnasiis veterum intelligi. Nam talibus ornamentis artium, bonarumque literarum sedes plerumque decorabantur. Sic Verris statua in gymnasio Leontinorum apud Cic. Verr. II. & apud Tac. ann. XV. quædam in gymnasio Neronis statua constituta legitur, profecto haud dubie à Græcis more & exemplo. In gymnasio Atheniensi, quod Ptolomæjum vocabatur, fuisse Ptolomæi, Jubæ, & Chrysippi statuas, Pausanias in Attic. tradit. Et de Berosi statua Plin. VII. 37. *astrologia*, inquit, *enituit Berosus, cujus ob divinas prædictiones Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuere.* Sed tamen antiquo instituto, non tam hominum statuas, quam numinum signa in iis locis constituta fuisse reperio. Pausanias in Atticis, de bibliotheca Atheniensium à Pisistrato structa, & à Xerxe primum, deinceps à Sylla direpta; quam Adrianus imperator Romanus instauravit. *Sunt*, ait, *& cellæ hic, lacunari inaurato, ex lapide alabastro; insuper ornatæ signis & picturis, repositique illic libri.* Et quia deorum antiquitus immensa multitudo fuit, verum numen non cognoscentibus paganis, ea cautio hanc circa rem adhibebatur, ut non omnibus locis, sine discrimine omnia deorum simulacra statuerentur, sed quæ cuique loco maxime idonea propriaque essent, quod ex tradita vulgo cujusque nummis vi ac potestate debebat æstimari. Sic ad gymnasiorum Academiarum.

rumque ornamenta, Mercurii ſigna quæ hermas appellabant; item Minervæ, & imprimis hermathenæ, ſtatuæ ſcilicet ex Mercurio & Minerva junctim conſtructæ, deſtinabantur. De hermis Cic. ad Attic. lib. I. Epiſt. 8. *Signa Megarica & Hermas, de quibus ad me ſcripſiſti, vehementer exopto; Quicquid ejusdem generis habebis, dignum academia, tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere.* Idem Verrin. v. *Te Mercuri, quem Verres in villa & in gymnaſio Tyndaritanorum juventutis illorum cuſtodem & præſidem voluit eſſe, imploro & obteſtor.* De Minerva Juvenalis ſat. III.

Hic libros dabit, & forulos, mediamq; Minervam.

Ubi mediam Minervam dupliciter exponunt interpretes, ita videlicet dictam, aut quod in medio ad exornandam bibliothecam reponeretur, aut quod non integræ & perfectæ ſtaturæ, ſed dimidiata tantum, & usque ad umbilicum efficta, ſolam ſui προτομὴν oſtendens, dedicaretur. De Hermathena Cic. ad Attic. I. 4. *quod ad me* inquit, *de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt, ornamentum academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt ejus gymnaſii.* Commune omnium, inquit, quia gymnaſia alia erant, in quibus corpus exercebant, alia in quibus anima excolebatur diſputationibus commemorationibusque, de ſtudiis philoſophiæ. Vtrorumque ergo communis Mercurius fuit; Minerva autem ſingularis & propria iis, quæ ad animi cultum ſolum inſtituebantur. Vulgo quippe conſtat, amica & artibus faventia numina, ingeniorumque liberalium antiſtites habitos fuiſſe Mercurium ac Minervam. Iſta igitur ſimulacra, quæ ad gymnaſii ornamentum ab Attico Cicero poſcit, appellat γυμνασιώδη, epiſt. 6. dicti libri. *Tu velim, ſi qua ornamenta γυμνασιώδη, reperire poteris, quæ loci ſunt ejus, quem tu non ignoras, ne prætermittas.* Et ep. 8. *genus hoc eſt volupta-*

luptatis meæ, quæ γυμνασιώδη *maxime ſunt, ea quæro.* Sequente item epiſtola generaliori voce οἰκεῖα vocat, domeſtica & quaſi cujusque loci propria: *ſigna*, inquit, *noſtra*, *hermeraclas, ut ſcribis, cum commodiſſime poteris, velim imponas, & ſi quod aliud* οἰκεῖον *ejus loci, quem non ignoras, reperies, & maxime quæ tibi palæſtræ, gymnaſiiq; videbuntur eſſe.* Quid vero, inquies, in hoc loco & in gymnaſio Hercules, vel Mercurio Hercules, qui Hermeracles? Docet illud optime Eumenius rhetor, in orat. pro reſtaur. ſcholaſt. *Fulvius*, inquit, *ille nobilior, in Græcia cum eſſet imperator, acceperat Herculem muſagetem eſſe, hoc eſt comitem ducemque muſarum, idemq; primus ſigna novem, h. e. omnium camænarum, ex Ambracienſi oppido translata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecravit, quia mutuis operis, & præmiis juvari ornariq; deberent. Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce muſarum.* De æde Herculis muſarum. Sueton. Aug. cap. XXIX.

Multaq; à multis extructa ſunt, ſicut à Marcio Philippo, ædes Herculis muſarum. Quæ itaque ſigna cuique loco optime convenirent, accurate obſervabant, ne forte in numina peccarent, quæ propriis maxime ſedibus coli oſtentarique velle videbantur. Idem etiam in hominum ſtatuis factum eſt, & in locorum electione non tantum conditio vitæque genus ſpectatum, ut in propria ac idonea ſede locarentur, ſed & ipſe ſtatus habitusque ſtatuarum debuit decenter ad loci genium naturamque conformari. Ob id neglectum Licinius mathematicus Alabandeos apud Vitruvium VII. 5. reprehendit, *dicitq; illos ſuis acutos ad omnes res civiles haberi, ſed propter non magnum vitium indecentiæ inſipientes eos judicatos eſſe, quod in gymnaſio eorum, quæ eſſent ſtatuæ, omnes eſſent cauſas agentes. In foro autem diſcos tenentes, aut currentes ſeu pila ludentes. Ita indecens*, ait, *inter locorum proprietates, ſtatus ſignorum publice civitati vitium exiſtimationis adjecit.*

X.

BALTHASARIS BONIFACII J.C. IN VENETORUM GYMNASIO JURIS CIVILIS INTERPRETIS.

DE ARCHIVIS LIBER SINGULARIS AD AMPLISSIMUM SENATOREM DOMINICUM MOLINUM.

Venetiis 1632. ap. Jo. Petrum Pinellum typographum ducalem.

Dicebat mihi cardinalis Cleselius, dum ei redeunti in Germaniam occurrerem, esse se vivum quoddam Austriacæ domus archivum, cum quatuor ejus familiæ cæsaribus sexaginta propemodum annis serviret. Te vero, senatorum optime, & sapientissime, qui patrios annales, & peritissima quæque istius imperii fortunatissimi arcana tum assidue perlegeris, tum memoria fideli commiseris, vivum rei Venetæ archivum verius multo appellabimus. Cumque nullus sit pene liber, quem non evolveris & excusseris, acrique judicio censueris, ut ex eo præclara quæque depromeres, rectius te quam Longinum Cassium animatam bibliothecam & musæum ambulantem vocabimus. Quanquam igitur nihil à nobis ex autoribus priscis, aut recentioribus colligi possit, quod ipse prius non excerpseris, jubes tamen, ut es alienæ industriæ mirus excitator, me de ARCHIVIS quæcunque inter legendum mihi obvia fuerunt, in literas dare. Ego vero, qui ab istiusmodi studiis procul absum, & nullam pene ante antiquitatis notitiam habeo, cum nihil eruditione tua dignum scribere valeam, malo omnibus indoctus, quam tibi uni contumax videri.

CAP. I.

QUID SIT ARCHIVUM.

ΑΡΧΕΙΟΝ græci recentiores dixere, quod recentio-

tiores latini eadem prorsus notione, & eisdem propemodum literis ARCHIVVM appellarunt. At vetustiores græci γραμματοφυλάκιον, & χαρτοφυλάκιον, vetustiores latini *tabularium* & *tablinum* vocare maluerunt. Sed & *cameram* idem *archivo* fuisse, liquet ex Innocentii III. rescripto, *librum*, inquit, *censualem non habuimus suspectum, licet non in nostra, sed in cardinalis S. Adriani camera sit inventus, qui eum, quando camerarius fuerat, de camera B. Petri suscepit.* Est autem ARCHIVVM ex Servii Maurii definitione, *locus in quo acta publica asservantur.* Sive ex JCtorum glossematis, *publicum tabularum & monumentorum repositorium.* Vel denique, ut censuit Vlpianus, *locus publicus in quo instrumenta deponuntur.* Vbi vero doctorum virorum lucubrationes collocabantur, id græci ἀθηναῖον, latini *Pluteum* dixerunt: sic enim Juvenalis:

Ca. ad audientiam de præscriptionibus.

l. moris ff de pœnis.

Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

Quanquam vero Μουσεῖον priscis Aegyptiis nihil aliud esset, quam quod Atheniensibus πρυτανεῖον, hoc est *mensa, ad quam cunctis, quos tota passim Aegypto celebres eruditio fecisset, aditus patebat*, quemadmodum testatur Philostratus; usus tamen, *quem penes*, ut ait Venusinus, *est arbitrium loquendi*, librorum & voluminum reconditorium tanquam penetrale quoddam musis sacrum, *musæum* maluit appellare.

CAP. II
QVANDO INSTITVTA SINT ARCHIVA.

Sunt qui putent, non admodum ab ætate proavorum nostrorum remotum esse archivorum institutionem, ita enim per omnes Italiæ civitates ante quingentos aut paulo amplius annos ea loca ubi acta publica servarentur, fuisse constructa. Horum tamen vel imperitiam arguere, vel ineptiam refellere nullius est negotii. Nam sanctus

ctus *Deus dedit* Romanus pontifex annos abhinc mille rescripsit *Gordiano* episcopo Hispalensi se *in archivis apostolicæ sedis invenisse memorias Ephesiorum.* Justinianus imperator ante annos centum supra mille sancivit, *chartam, quæ proferretur ex archivo publico, publicum testimonium habere.* D. Hieronymus ante annos mille ac ducentos scripsit Paulæ & Eustochio se *librum Esther de archivis hebræorum relevatum verbum è verbo expressius* transtulisse. In Synodo Milevitana decretum est circa annum Christi quadringentesimum, ut *matricula & archivus Numidiæ esset in metropoli Constantina.* Est autem ARCHIVVS, ut Cæsar Baronius interpretatur, idem prorsus quod *archivum*, locus scilicet, ubi scripturæ publicæ ad perpetuam memoriam asservantur. Vlpianus Alexandri imp. temporibus annos abhinc mille & quadringentos *archivum & grammatophylacium* diserte nominavit, ac definivit, quemadmodum ante dicebamus. Satis vetusta horum testimoniis videri potest archivorum publice constituendorum consuetudo. Sed his omnibus antiquior Tertullianus, ad comprobandam universi orbis ab Augusto factam recensionem, *Romani archivi* censuum tabulas profert, in eum quippe cujusque census tabulæ inferebantur. Flavius demum Josephus, qui claruit sub Vespasiano, hoc ante ætatem nostram annos propemodum mille & sexcentos, testatur, seditiosos ignem *archivo, quod erat Hierosolymis* injecisse, nempe ut omnibus creditæ pecuniæ monumentis exustis, tota eis obæratorum novas tabulas poscentium factio sese conjungeret. Nobis igitur prima archivorum institutio non modo antiqua & vetusta, verum etiam ab ipsius mundi origine repetenda videtur. Scribit enim idem *Flavius Josephus* Sethi filios, Noæ nepotes, turres geminas ædificasse, alteram lateritiam, marmoream alteram, illam scilicet conflagrationibus, hanc eluvionibus opponentes; in-

c. pervenit. 30. q. 1.

De iis qui ingre. ad appell. §. illud etiam judicavimus Co. II. 1.

Præfat. ad lib. Esther.

Conc. Afr. c. 53. (anno 401. c. 41.

l. moris ff. de poenis.

lib. de carne Christi.

Bell. jud. l. 2. c. 18.

Antiq. lib. 1. c. 3.

quas, quæcunque ipsi memoria digna invenissent, comportarentur; cum ab Adamo didicissent orbem terrarum bis periturum, & primo quidem aqua mersum, postremo igni consumtum iri. *Quas profecto turres ego aliud nihil quam archiva fuisse* existimo.

CAP. III.
DE ANVIQVORVM ARCHIVIS.

In archivo *Saidis* Aegyptiæ urbis *octo millium annorum memorias servari* asserit sacerdos ejus nationis apud Platonem. *Annorum* vero *septendecim millium* apud eosdem esse
S. 1. *memorias* testatur Herodotus. Mira hæc & incredibilia nobis, qui juxta hebræorum chronologiam ab orbe condito sex tantummodo annorum millia numeramus. Sed longe portentosius fabulantur Aegyptii; ajunt enim à Vulcano Nili filio ad Magnum Alexandrum *fluxisse quater centena eoq; amplius annorum millia*; in quibus contendunt, *solem trecentis sexaginta tribus vicibus, lunam octingentis triginta duabus* defecisse, quemadmodum refert Laërtius. Ajunt præterea, teste Mela, *se usque ad Amasin trecentos triginta reges habuisse*, sub quibus, ut ex eorum ephemeridibus apparebat, tredecim eorum millibus elapsis, astra omnia quater motum suum absolute compleverunt, & sol contrario cursu bis ab occasu exortus erat. Chaldæi vero impudentius mentiti *se siderum observationes à tribus & quadringentis retro annorum millibus usque ad Alexandrum Macedonem habere* jactarunt, ut prodit
De divin. lib. 1. Diodorus. Addit Cicero, Chaldæos profiteri ex *publicis locis scripta posse proferre quadringentorum septuaginta millium annorum res gestas* complectentia.

CAP. IV.
DE GRAECORVM ET ROMANORVM ARCHIVIS.

Lacedæmonios Amyclis societatum & fœderum tabu-

las publicæ fidei custodia diligentissime conservare, perhibet Alexander Alexandræus. Sed & in *Areopago* & in *æde* lib. 5. c. 4. *Minervæ* fuisse publicorum instrumentorum custodiam alicubi invenio. Romanos quoque in *æde Saturni* tum ærarium tum archivum habuisse; testamenta vero & codicillos & syngraphas & apochas in *delubro Apollinis Capitolini* condidisse, aut *Vestalium virginum fidei* credidisse, testatur Suetonius, aliique ab eo plures. Bibliothecas autem, quæ archiva quædam librorum recte dici possunt; Archivos enim *armaria codicum* glossa vocavit, omnes fere nationes habuerunt. Memorabiles in primis & insignes præ ceteris fuerunt Cle. unic. *Hebræa*, quæ in templo erat, ubi prophetarum oracula, Glossa ult. judicum acta, regumque gesta asservabantur: quam bibli- de jure jurando. othecam fuisse antiquissimam sacræ paginæ confirmatur au- Exod. 17. 2. toritate. *Babylonica* item & *Persica*, de quibus pariter di- Maca. 1. vinæ literæ meminerunt. Claruit deinde bibliotheca *Græ-* Esther. Daniel. *corum*, quam Pisistratus Athenis primus instituit, Xerxes ad Persas asportavit, Seleucus Athenas referendam curavit. *Alexandrinam* Ptolomæus Philadelphus construxit, ac septingentis, ut ait Gellius, voluminum millibus locupletavit. *Romæ* vero bibliothecas *publicas unde triginta* extitisse Publi- l. 6. c. 17. cus Victor asseruit; quas inter præcipuæ fuerunt *Juliana* ab Julio Cæsare, *Palatina* ab Augusto, *Vlpia* à Trajano, *Domitiana* & *Gordiana* ab his, quorum nominibus censebantur Romanis principibus institutæ. Hodie vero inter Romanas, imo inter omnes totius orbis bibliothecas extat multum atque eminet *Vaticana*, patrum nostrorum memoria à Sisto V. apud basilicam principis apostolorum ædificata.

CAP. V.

DE BARBARORVM ARCHIVIS.

Numeros Barbaris adeo literarum vicem interdum

ſuppleviſſe comperimus, ut non tantum domeſticorum, ſed etiam publicorum eventuum hiſtoriam per numeros contexant. Nam in *Peruvia*, quemadmodum legimus apud *Oviedum* & *Pharanuſinum* extant in maximis quibusq; civitatibus archiva ſatis ampla; quorum miniſtri ejus rei peritiſſimi; chordulas aliquot, quas illi *quippos* vocant, variis coloribus, pro rerum quas ſignificant varietate, inficientes, & multiformibus nodorum nexibus complicantes; ac denique pro temporum diverſitate diverſis locis diſponentes, quicquid uſpiam memoratu dignum contigerit, ſcite admodum atque expedite enarrare poſſunt. At *Chini*, quos nonnulli *Sinos* eſſe arbitrantur, non modo literis non carent, verum etiam pro duabus & viginti Græcorum literis, ſex eoque amplius characterum millibus utuntur, quorum ſingulis non unam tantum literam aut ſyllabam, ſed integrum vocabulum, & abſolutam plerumque orationem conficiunt; ut in ejus regionis hiſtoria ſcripſit *Johannes Conſalvus Mendoza*. Antiquior multo apud Chinos, quam apud nos dicitur eſſe *uſus Typographiæ*; quæ ars cum in Europa noſtra credatur fuiſſe inventa anno humanæ ſalutis MDCLIIX. à *Johanne Cutembergo Moguntino*, extant tamen *apud Chinos volumina typis affabre excuſa ante annos octingentos*. Eoque propter in eorum archivis adeo vetuſtæ rerum memoriæ comperiuntur, ut conſtet ex eorum hiſtoriis à *Vitejo ad hanc ætatem ducentos quinquaginta reges per annos quater mille trecentos rerum ibi fuiſſe potitos*. Dicti fides eſto apud Mendozam, ſi tamen aut mendo, aut mendacio vacat. Nos enim, quæ à ſcriptoribus Hiſpanis de nationibus ſub oppoſito nobis cœli cardine viventibus traduntur, nec facile agnoſcimus, nec temere confutamus.

Hiſt. Ind. occid. epiſt. nuncupat. ad Fracaſto rium navig. vol. 3.

l. 3. c. 13.

CAP. VI.
DE NOSTRATIVM ARCHIVIS.

Non

Non ita novam esse archivorum institutionem, uti nonnulli perperam censerunt, præter ea quæ superius diximus, constat ex iterata *D. Hieronymi* attestatione. Scri- Epist. 52. ad Pammachium.
psit enim summus ille sacræ paginæ interpres, adeo celebre fuisse temporibus suis Romanorum archivum, in quo oecumenica concilia cæteraque religionis arcana servabantur, ut ad illud pro dubiorum solutione ex omnibus christiani orbis partibus concurreretur. In *Romano* quoque *Synodo* paulo post Hieronymi excessum *sub Gelasio* pontifice celebrata, de archivo, & scrinio Romano, de bibliothecariis, scribis & scriniariis, frequens habetur commemoratio. In *pluribus* etiam *Italiæ civitatibus* antiquissima archiva fuisse, apparet ex ipsorum locorum & monumentorum, quæ ibi reperiuntur vetustate. Nam, ut de cæteris sileam, in *archivo* nostro *canonicali*, apud antiquissimum hujus *Tarvisinæ urbis* Dominicum autographum habemus, annos abhinc sexcentos confectum, in quem relata est legatio canonicorum decessorum nostrorum ad summum pontificem, pro confirmatione obtinenda ejus episcopi, quem ipsi canonici elegerunt. Vt vero natura comparatum est, posteriores curas, quod vel Græcorum sermone tritum olim erat adagium, prioribus esse meliores, Tu, magne senator, tu literarum custos, tu literatorum mæcenas, tu renovator antiquitatis tu memoriæ labentis accuratissime instaurator, *bibliothecam & archivum in academia Patavina* nuper instituisti, complures in ea tum excusos, tum manuscriptos codices congessisti, redditibus & proventibus locupletasti, libros quoque tuos autorum celebritate nobilissimos, eruditione electissimos, typis emendatissimos, tempore recentissimos, ornatu pulcherrimos, notis, additamentis & scholiis uberrimos, varietate argumentorum & materiarum ju-

jucundissimos, numero denique pene dixerim infinitos, eidem legaturus.

CAP. VII.
DE VTILITATE ARCHIVORVM.

Qui principes archivorum & bibliothecarum utilitatem non sentiunt, ij profecto Caligulas & Jovinianos, Romani imperii portenta & propudia pessimi exempli deterrimi sectatores æmulantur, quorum detestabili sacrilegio complures bibliothecæ, qua optimis quibusque scriptoribus viduatæ, qua dejectæ atque exustæ fuisse memorantur. Nihil est enim adeo sanctum, quod non furiosa tyrannorum libido & impunis audacia profanet. Qui vero in ea loca, memoriæ sacra, libros ac tabulas condiderunt, è quibus à sera posteritate, præteritarum rerum ignara, ad suam & successorum eruditionem, tanquam è penu, depromeretur, ij Magnos Alexandros, ij Julios Cæsares, Octavianos Augustos, & Maximos Constantinos imitantur, quorum generosæ magnificentiæ, quicquid reliquiarum superest nobis, obtruncatæ & prope deletæ vetustatis accepto ferimus. Quibus preciosis analectis si penitus destituti fuissemus, omnes quidem certe cum in historia, tum in reliquis disciplinis cæcutire, & manu tentare cogeremur. Nihil est enim ad instruendos atque edocendos homines utilius, nihil ad res obscuras eruendas atque illustrandas, nihil ad patrimonia regnaque, ac demum privata ac publica omnia conservanda magis necessarium, quam voluminum & monumentorum ac tabularum bene instructa supellex; tanto melior navalibus, tanto præstantior armamentariis, quanto ratione quam violentia, jure quam injuria, vincere præclarius censetur. Neque profecto notitiam vetustatis ullo alio modo, quam per archivos & bibliothecas assequemur. Quis enim hoc

hoc

hoc tempore Judæorum traditiones & arcanas istas cabalistarum artes & prodigiosam Esdræ memoriam possit nobis repræsentare, ut absque literarum elementis transactæ ætatis facta & proavorum negocia inquiramus?

CAP. IIX.
DE ARCHIVORUM MINISTRIS.

Frustra in unum quempiam locum scripta reconderentur, nisi hominum cura atque diligentia injuriis temporum obviam iretur. Eædem siquidem blattæ, eadem caries, idem situs, iidem mures, ea paulatim corrumperent atque exederent in repositorium congesta, perinde ac si sparsim per varia loca negligerentur. Optimo igitur consilio bibliothecis & archivis præficiebantur periti accuratique viri, publicisque stipendiis à principum liberalitate ad munus injunctum naviter obeundum alliciebantur. Eos autem vel *archivistas* vel *bibliothecarios*, vel *custodes*, vel *grammatophylacas*, vel *scriniarios* appellabant. *Scrinium* quippe, ut hoc transeunter dicamus, non numorum, sed librorum & scripturarum proprie locus est; nam & *librariorum scrinia* legimus apud Catullum, & *epistolarum scrinia* penes majorem Plinium: & Horatius orto statim sole *calamum & chartas & scrinia* poscit. Aliis præterea nominibus archivorum ministri censebantur; eosque vocarunt majores nostri *camerarios*, *chartularios*, *chartophylacas*, ac denique *aediles*; ita enim Pomponius: *Qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos constituerunt, qui ædiles appellati.* (l. 2. ff. de orig. jur.) Hos hodie *massarios* & *camerlingos* vocari testatur glossa. Eos vero qui acta publica excipiunt, eorumque exempla poscentibus impertiunt, *notarios*, *tabelliones*, *amanuenses*, *scribas*, *exceptores*, *commentarienses*, *exscriptores*, *libelliones* appellamus. Porro archivorum solicitudo non nisi doctis & magnis viris mandabatur. A

Cajo

Cajo Julio Cæsare *Palatinæ bibliothecæ* præpositum legimus *M. Terentium Varronem*, Romanorum doctissimum à doctissimis judicatum. *Alexandrinæ* bibliothecæ à Ptolomæo Philadelpho *Demetrius Phalereus* & *Zenodotus Ephesius* præfecti fuerunt. *Cajus Melinus* Vmber bibliothecæ *Augustæ* in Octaviæ porticu curam suscepit; *Albicus Flaccus*, Caroli Magni imp. præceptor *Eboracensi* bibliothecæ in Anglia præfuit; *Marcus Antonius Sabellicus Marcianæ* bibliothecæ *Venetiis* præsedit; *Platina & Baronius Vaticanæ* bibliothecæ procurationem susceperunt. Quorum omnium quanta vel dignitas vel sapientia fuerit, editæ ab eis lucubrationes ostendunt, gesti honores testantur.

CAP. IX.

DE ORDINE IN ARCHIVIS SERVANDO.

Perfecte ordinare Dei solius est, & ordo ipse est quiddam divinum. Cum enim omnia prius incomposita ac indigesta non modo inconcinne ac præpostere sese haberent, verum etiam turbulentissime inter se dissiderent, ordinem rebus confusis induxit Deus, unde statim pulcherrimus iste mundi vultus enituit, formosissima cœli facies emicuit, admirabilis universi harmonia concrevit. Ordine igitur indito rebus informibus formam dedit; meritoque ordo ipse anima mundi ab academicis appellatur. Archivorum quoque animam nihil aliud quam ordinem esse, jure dixerimus. Nam quemadmodum lateres ligna ac regulæ, ut præclare à Xenophonte dictum accepimus, perperam posita, ac inordinate projecta, visu horrida, usu inutilia sunt, suis autem locis aptata in pulcherrima & magnificentissima ædificia consurgunt; ita profecto omnis generis scripta, si ea confuse & permixtim habeas, nulli usui sunt. Contra si ea recte per scrinia disponas, præterquam quod pulveri ac tineis minus obnoxia erunt, sine ullo in-

lib. 2. de dict. & fact. Socrat.

lo inquisitionis labore singula ad manum oportune ac facile habebis. Et ordo quidem in archivis servandus à natura ipsa cuique demonstratur; prius enim loca partiri convenit, mox negocia, tandemque tempora. Primum igitur, exempli gratia, quæ pertinent ad Vrbem urbium Venetias, deinde quæ Patavium, mox Veronam attinent, disparemus. Singularum postea civitatum negotia singula dispescamus; ut alibi testamenta, alibi permutationes, alibi alios contractus disponamus. Denique ab antiquissimis incipientes per annorum & mensium ordinem ad novissima procedamus. Indices demum & syllabos conscribamus, elenchos, & catalogos conficiamus, quibus literarum ordinem servantes, & suos quibusque materiis indiculos adaptantes, quæcunque opus erunt, nullo negotio statim ad oculum sic habeamus, ut in manus nostras potius incurrisse sponte, quam casu incidisse videantur.

CAP. X.
DE RELIGIONE ARCHIVORUM.

Ipsa loci sanctitas religionem archivorum demonstrat; erant enim *in templis*, ut proxime dicebamus. Neque vero archiva, quanquam in templis hodie non sunt, sancta esse desierunt. Nam proprie dicimus *sancta*, ait Ulpianus, ***quæ nec sacra nec profana sunt, sed sanctione quadam*** l. sacra ff.
confirmata; quod enim sanctione quadam subnixum est, id de rerum
sanctum est, etsi Deo non sit consecratum. Martianus divis.
quoque inquit; ***sanctum est, quod ab injuria hominum defensum*** l. sancitum
atque munitum est. Et sacrarium etiam in ædificio privato ff. de rer.
esse potest. Sancta igitur etiam nunc archiva nominare li- divis.
cet, cum præsertim accesserit eis publica autoritas ac tutela principis, cujus in patrocinio loca publica sunt. Ut propterea violatores archivorum non modo sacrilegii, verum etiam majestatis rei judicentur, & pontificum Romanorum constitutionibus anathemate feriantur. Violant autem ar-

chivos *falsarii*, qui publicorum instrumentorum sinceritatem corrumpunt: *expilatores*, qui quæ ibi deposita sunt monumenta furantur, aut rapiunt; *incendiarii*, qui flammis injectis loca ipsa, in quibus acta civitatum servari oportet, conantur comburere. Tanta est porro archivorum reverentia, ut instrumentis ex publico archivo productis plane sit credendum, faciantque, ut jurisconsulti loqvuntur, *plenam fidem*. Ita enim statuunt glossa, Johannes Andræjus, Hostiensis, Panormitanus, Archidiaconus, cæterique universi canonistæ in cap. *Cum causam*. De probationibus in cap. *Ad audientiam*. De Præscriptionibus, & in cap. *Pervenit*. xxx. quæst. 1. Quibus assentiuntur Bartholus, Baldus, Alexander, Jason, Castrensis, aliique passim civilium legum interpretes in Authentica, *Ad hæc*. Codice De fide instrumentorum. Ac ne per hominum scelestorum injuriam in archivorum sanctitatem ac religionem quid peccaretur; neve per incuriam & neglectum periret, quicquid reliqui esset publicorum instrumentorum, jussit providentissimus princeps Justinianus in singulis Romani orbis civitatibus archivos constitui, Johanni præfecto prætoriorum scribens in hæc verba: *Præcepta faciat Tua Eminentia per unamquamque provinciam, ut in civitatibus habitatio quædam publica distribuatur, in quam defensores monumenta recondant, eligendo quendam, qui horum habeat custodiam, quatenus incorrupta maneant; ac velociter inveniantur a requirentibus: & sit apud eos archivum, & quod hactenus intermissum est in civitatibus emendetur.* Hæc imperator; cujus ex verbis apparet, ut id obiter attingamus, *eminentiæ titulum*, quo nuper Octavus Vrbanus summus Vniversalis ecclesiæ pontifex *cardinales* condecoravit, fuisse olim *præfectorum prætorio*, quorum tanta erat dignitas, ut eam Eunapius ἀπόρφυρον βασιλείαν, hoc est, *regnum sine purpura*, nuncuparit.

De defensorib. civ. §. & judicare coll. 3.

DE

XI.

DE BIBLIOTHECA VATICANA FRANCISCI SCHOTTI.

Bibliotheca Vaticana pontificis quotidie à doctis hominibus meritò frequentatur. Abundat enim, refertaque est, si quæ alia in Europa, antiquissimis omnium disciplinarum artiumque libris cùm *græcis* tùm *latinis*, ac *hebraicis*, calamo olim in membranis exaratis, multis retro seculis accumulata á summis Romanæ sedis pontificibus, quibus colligendi libros, servandique studium fuit, in tot bellorum civilium, exterorumq; calamitatibus, direptionibus, ac cladibus, quas ea urbs a barbaris gentibus accepit; quòd urbium reginam extinctam cuperent.

Itinerarii parte II. cap. x. pag. 146. & seq. edit. Vicent. 1601.

Xistus V. P. M. nostra memoria nuper mirificè auxit, ornavit, illustravitque picturis, atq; ædificio immenso: quod singulari poëmate à *Gulielmo Blanco* Gallo, & historica descriptione depingitur à F. *Angelo Rocho*, episcopis. Schedis etiam nondum editis ab *Onuphrio Panvinio*, ejusdem ordinis Eremitarum cum Rocho, monachi pereruditi.

Illud summis votis optant, atque efflagitant viri docti, pontificis Max: beneficio indicem librorum græcorum, latinorumque bono publico edi, atque evulgari. Sic enim fieret, ut inflammati eruditi, qui ad veteres scriptores illustrandos animum appellunt, frequentes Romam venirent: prodirent innumerabiles auctores, qui vel latent in tenebris lucemque nondum aspexerunt, vel longè depravatissimi, mutili, ac manci circumferuntur. Præstitit hoc Augusta verè respub. Vindelicorum per indicem invitatis eruditis hominibus, qui græcos patres, comparando, vulgatas editiones cum M. SS. illustrare vellent. Et Galliæ regibus christianissimis Francisco I. & Henrico II. quot quantosque scriptores græcos, cùm historicos, tùm theologos acceptos referam,

necesse est? ut & Mediceæ bibliothecæ Reginæ matris, magnique Etruriæ ducis: cui familiæ literæ multum se debere libenter agnoscunt. Augustior verò, longeque copiosior pontificia est, imò regia etiam bibliotheca, quæ in Carpetanis Hispaniæ est ad Divum Laurentium; quam & Didacus Hurtadus Mendoza, cæsaris olim apud Venetos legatus, accepta è media Græcia græcorum librorum plena navi, mirificè ornavit.

Sunt & aliæ Romæ egregiæ bibliothecæ: ut collegii *Canonicorum S. Petri* in Vaticano: card. quoq; Gul. Sitleti libris græcis plena, ut erat ille ad miraculum doctissimus: quæ nunc bibliotheca 20. millibus aureorum æstimata, Ascanii card. Columnæ est, patetque doctis hominibus. *Sforciana* quoq; auctoribus græcis manuscriptis abundat, & *Farnesiana.*

Taceo innumeras privatorum bibliothecas rarorum librorum, rerumq; preciosarum: Qualis est *Fulvii Vrsini* Romani, hominis utriusq; linguæ doctissimi: & altera *Aldi Manutii* Pauli F. Aldi N. qui nuper in medio vitæ cursu vita decedens, octoginta millium librorum bibliothecam reliquit. *Vt alias diximus, Fulvius suam excellentissimam librorum suppellectilem bibliothecæ hoc anno 1600. mense Iunio moriens donavit: Et eam, quæ fuit card. Sirleti, viri in utraq; lingua peritissimi, emit 14 mil. aureis, Ascanius card. Columna, heros avitæ gloriæ in armis æmulus, quam, ac litteratorum hominum patrocinio, æquat, immò & superat, &, ne temporum invidia consumetur, deputatis custodibus, & annuis, ac largitis proventibus voluit custodiri & augeri.*

Nam extra Romam bibliothecas audio celebrari, ducum Florentini, & Vrbini: græcis illa, hæc mathematicis referta.

Cesenæ, Malatestarum apud minoritas, Bononiæ apud prædicatorios verè celeberrima; Venetiis, apud rempub. Patavii, in domo Ioannis Vincentii Pinelli.

Sed Romam ad Vaticanam bibliothecam, tanquam in viam redeamus.

DE

XII.

DE BIBLIOTHECA VATICANA
ONVPHRII PANVINII.

Gentiles suos libros in bibliothecis publicis, & privatis consuevisse asservare, ex eorum monumentis, & ex his, quae nuper scripsimus, facili conjectura possumus consequi, permultique tradiderunt. Ecclesiam verò catholicam jam inde â primo post Christum exordio in praecipuis quibusdam locis bibliothecas sacras habuisse, quibus studiosorum ingenia pascerentur, non est obscurum. Nam D. Athanas. in narratione de persecutione Arianorum in ecclesia Alexandrina tradit; *bibliothecas in ecclesiis christianorum fuisse, librosque magna cura conservatos*; & in eo Arianorum impietatem accusavit, quod libros ecclesiae ereptos indignissimè combussissent. Hieronymus earundem meminit, cùm ad Pammachium pro libris suis adversus Iovinianum scribens ait: *ecclesiarum bibliothecis fruere.* Eusebius praeterea lib. 8. cap. 11. scribit, ecclesiam libros sacros in oratoriis habuisse, eosque temporibus Diocletiani excisis oratoriis ad delendam prorsus memoriam christianorum exustos esse. Neque verò desunt in scriptura conjecturae, quoniam Paulus ad Timotheum scribens, libros secum Romam apportare jubet, maximè verò membranas: atque idem libros Propheticos in ecclesia Corinthiorum legi solitos. 1. ad Corinth. testatur. *Bartholomaeum* verò *Indis verbum Dei praedicasse, ibiq; evangelium Matthaei hebraicè manu sua descriptum* reliquisse, lib. 5. cap. 10. historiae ecclesiasticae prodidit Eusebius, quod *exemplar in India repertum Origenes* (teste Hieronymo) *Alexandriam* reportavit; cum ex oriente *libros canonicos veteris testamenti* Melito (ut ait Eusebius) attulis-

Ibid. ap. Schottum. pag. 148. & seqq.

tulisset. Hebræi tandem libros sacros diligentissimè custodiebant, & in synagogis suis Moysen per singula sabbata legere solebant. Quare eosdem christianos factos in describendis & conservandis libris propheticis, & apostolorum, atque evangelistarum studium suum collocasse, merito est credendum.

Sed loca ubi libri servabantur, non uno nomine fuerunt appellata: nam & *archiva*, & *scrinia*, & *bibliothecæ* (ut ex auctoribus citandis patebit) dicebantur. Bibliothecarius in vita Cœlestini papæ: *Hic*, inquit, *fecit constitutum de omni ecclesia, maxime de regionibus: quod hodie in archivo ecclesiæ tenetur reconditum.* Et in vita Leonis papæ: *Multas epistolas scripsit papa Leo, quæ hodie in archivio ecclesiæ tenentur.* Et in Gelasio papa: *Gelasius libros adversus Eutychem, & Nestorium edidit, qui hodie in bibliothecæ ecclesiæ archivio reconditi tenentur.* Tandemque in vita Bonifacii papæ II. *Bonifacius papa chirographum damnationis Dioscori archivio ecclesiæ reclusit.* Anastasius præterea in vita Martini papæ.

Synodus, inquit, *Lateranensis à Martino papa contra Syrum Alexandrinorum, Pyrrhum, Sergium, & Paulum Constantinopolitanos patriarchas hæreticos Monothelitas celebrata, hodie archivio ecclesiæ continetur.* Et in Leone: *Hic fecit constitutum, quod in archivio ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus, nulla consuetudine, pro usu pallii, aut diversis officiis ecclesiasticis, quidquam persolvere debeat.* In Joanne VI. ait: *Joannes papa facto concilio sacerdotum Novellum episcopum, qui ab archiepiscopo Ravennate ordinatus fuerat, sub ditione sedis apostolicæ re integravit, & confirmavit: cujus rei chirographum in S.R.E. archivio retinetur.* Vltimo in vita Stephani II. *Pipinus rex Francorum victo Astulfo rege Longobard. eidem multas civitates, quas vi occupaverat, abstulit: quas B. Petro S.R.E.*

&

& Romanis pontificibus donavit, ſcriptiſque ſuis donationem fecit, quæ hactenus in archivio S. eccleſiæ recondita tenetur. Hieronymus quoque in prologo Eſther ſcribit: *Quem librum ego de archivis Hebræorum elevans, verbum è verbo expresſius tranſtuli.* D. autem Gregorius papa in prologo 40. homiliarum ſuarum ad Secundinum Epiſcopum Tauromilitanum refert, *40. homilias ſuas in ſcrinio S. R. E. detineri.* Et Julius papa, qui Marco Silveſtri ſucceſſori ſuffectus eſt, inſtituit, *ut in eccleſiæ ſcriniis reponerentur cautiones, inſtrumenta, donationes, commutationes, traditiones, teſtimonia, allegationes, ac manumiſſiones clericorum in eccleſia.* Sed nominis *bibliothecæ* exempla, & teſtimonia non eſt quod afferantur.

Ex his igitur facile cognoſcere licet, permulta eorum, quæ in bibliothecis reponebantur: verum non iſta ſolum, quin etiam & præcipue bibliorum libri conſervari ſolebant, ut ſatis ſuperque ex Euſebio, & eccleſiarum uſu conſtat: in quibus quatuor evangeliſtarum libri, epiſtolæ Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, & Judæ, nec non acta apoſtolorum, & apocalypſis Joannis legi fuerunt ſolita, opera tandem ſacrorum doctorum in eisdem bibliothecis ſervabantur; ut Ignatii, Martialis, Clementis Romani, Juſtini, Egeſippi, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, & aliorum, quorum permulta ad noſtra usque ſæcula pervenerunt. Quare dicendum eſt, bibliothecas propter librorum biblicorum, memoriæ doctorum, & ſcriptorum Eccleſiaſticorum, veræque eccleſiæ hiſtoriæ conſervationem, atque ad poſteros propagationem inſtructas, & inſtitutas fuiſſe.

Ad ſtructuram autem, & conſervationem bibliothecæ non mediocres ſumtus erant neceſſario faciendi librorum conquiſitoribus luculentis, ac peritis ſcriptoribus totique

tique veræ bibliothecæ, hi partim fidelium divitum liberalitate, partim ex communi ecclesiæ ærario fiebant.

In quo sane Magni Constantini eximium, & singulare prædicatur studium; qui (ut tradit Eusebius lib. 3. de ejus vita) imperatorios thesauros liberalissime effudit in colligendis, scribendisque libris sacris, quos gentiles temporibus persecutionum ab ecclesia fere excusserant.

Verum tamen munus bibliothecæ condendæ, conservandæ, ac curandæ episcoporum præcipuum fuit, necnon & presbyterorum: quoniam ad hos maxime spectabat, & evolvere, ac custodire libros; & *authenticos ab apochryphis* (teste Eusebio) discernere. Quamobrem notarios, librarios, & puellas ad scribendum exercitatas, qui libros describerent (ut apparet ex Ambrosii, Origenisque historia) alere, & sustentare solebant. Inter hos Panthenius rector scholæ Alexandrinæ diligentissimus librorum conquisitor perhibetur. Pamphilus etiam presbyter, & martyr Cæsariensis magno studio, & industria (ut ait Eusebius, bibliothecam instituit: eamque tum Origenis tum aliorum scriptorum voluminibus exornavit. Cujus Caesariensis bibliothecae in apologia adversus Rufinum meminit Hieronymus. Alexander praeterea celeberrimus Hierosolymorum antistes mirificam bibliothecam Hierosolymis construxit, eodem teste Eusebio, in qua libros Berilli, Hippolyti, Caji, & aliorum scriptorum ecclesiasticorum reposuit: quibus se adjutum, & instructum in scribenda historia ecclesiastica Eusebius testatur.

Sed, ne diligentiam, & studium nostrorum silentio praetereamus, Clemens primus post Petrum pont. max. qui multas scripsit utiles epistolas in ecclesia Romana conservatas, ad posterioresque transmissas; Romae, ubi fons pietatis doctrinaeque erat, septem *notarios* in singulas regiones

nes diſtributos inſtituit, qui cenſibus eccleſiæ nutriti, geſta martyrum diligenter perquiſita, & ſigillatim indagata literis, & monumentis conſignarent.

Anterus papa res geſtas martyrum à notariis deſcriptas requiſivit, & in eccleſia recondidit.

Fabianus Anteri ſucceſſor ordinavit ſeptem diaconos iis notariis imminere, ut martyrum res geſtas undique ſingulatim colligerent. Actiones præterea ſynodi Romanæ ſub beato Silveſtro celebrata, eorundem notariorum teſtimonium tribuunt. Ad hæc Julius papa, qui poſt Marcum Silveſtri ſucceſſorem præfectus eſt, conſtituit, ut cuncta, quæ ad Chriſti fidem conſervandam, propagandamque pertinerent, per notarios S. R. E. colligerentur, atque ea omnia monumenta à Primicerio notariorum approbata in eccleſia reconderentur. Hilarius autem papa, primus, quod legerim, bibliothecas duas Romæ juxta fontem Laterani ædificavit, in quibus eccleſiæ Romanæ ſcripta, & epiſtolas decretales Romanorum pontificum, conciliorum actiones, hæreticorum palinodias, & hæreſes, ſanctorum patrum libros, publico uſui chriſtianorum conſervaret: cum eo tempore libri ob paucitatem, & librariorum caritatem difficile admodum invenirentur.

Sed tamen præter has (ut jam ad originem Vaticanæ deveniamus) fuit etiam alia, fortaſſe omnium maxima, in ipſo Lateranenſi patriarcho ſtructa bibliotheca optimis voluminibus referta: quæ eo loci fere annis M. quamdiu Romani pontifices Lateranum incoluerunt, permanſit. Poſtea vero quam Clemens V. in Galliis Romanam ſedem conſtituit, pontificia bibliotheca fuit Avinionem translata, libris juſſu pontificum ex Laterano advectis, atque Avinione in apoſtolico palatio fere ſpatio 120. annorum

retentis; quousque Dei benignitate ſublato ſchismate, poſt Martini V. creationem ejus bibliothecæ magna pars fuit iterum Romam perducta; & non Laterani, ſed in Vaticano, ubi Romanus pontifex ſedem fixerat, collocata: confuſis tamen, ſparſisque libris, neque ullo certo, aut digno loco interclufis.

Quod indigne ferens Sixtus IV. pont. max. incredibilem librorum copiam â ſuis prædeceſſoribus relictam, qui partim vetuſtate, partim hominum injuria conſumebantur, certo, & opportuno loco digeſſit, armariis, pluteis, ceterisque inſtructæ & bene cultæ bibliothecæ neceſſariis exornavit: atque bibliothecam Vaticanam multis additis voluminibus, eccleſiæ decori, fidei catholicæ amplificationi, publicæ eruditorum hominum commoditati, & honori conſecravit. Hæc igitur Vaticana bibliotheca omnium, quæ in orbe terrarum ſunt, inſtructiſſima eſt: optimisque & antiquiſſimis ſcriptis in membranis libris refertiſſima, quorum numerum ſex millium excedit. Huic, ut facilius conſervaretur & augeretur, Sixtus IV. ſtrenam centum aureorum, quam Romanis pontificibus collegium ſcriptorum apoſtolicarum literarum quotannis donare conſuevit, in perpetuum addixit. Hanc ſumma induſtria, & diligentia curant, & adminiſtrant bibliothecarius, cuſtodes, correctores, librarii, ſarcinatores, & is, qui bibliothecam vertit: quæ omnia fere munera fuerunt à Sixto IV. inſtituta.

Qui ergo bibliothecæ præerat, jam olim *bibliothecarius*, & aliquando *cancellarius* vocabatur. Hujus munus erat, bibliothecam, & omnia ejus volumina ſcripta, membranas, & ſimilia accuratiſſime cuſtodire; bullas, ſive diplomata, vel epiſtolas decretales pontificum ſcribere, & ſi opus erat, dictare, acta conciliorum, & ſynodalia ex

ſcri-

ſcribere, ac conſervare; tandemque apud Rom. pont. ea omnia præſtare, quæ ſedis apoſtolicæ cancellarii noſtro tempore faciunt. Conveniens etenim viſum fuit, ut is potiſſimum eſſet papæ amanuenſis, ſcilicet ſcribarum princeps, vel à ſecretis, qui etiam pontificiam bibliothecam, quæ tunc erat veluti *cancellaria* quædam, ſive, ut nunc loquimur, *ſecretaria*, tractaret. Noſtris vero temporibus hæc munera ſunt diviſa. Bibliothecæ autem Romanæ ſemper clariſſimi & optimi viri probatæ doctrinæ & ſanctitatis præfuerunt: nam Anaſtaſius in vita Gregorii II. ſcribit, Gregorium, antequam pontifex crearetur, bibliothecæ Lateranenſis curam ſuſcepiſſe: *qui*, inquit, *eſt vir doctiſſimus, & Conſtantinopolim ad imperatorem Juſtinianum* II. *cum Conſtantino papa profectus, & ab eodem principe in multis difficillimis quæſtionibus interrogatus, peritiſſime omnibus ſatisfecit.* Bibliothecarius præterea in ejusdem vita refert, Gregorium ab ineunte ætate in Patriarchio Lateranenſi nutritum fuiſſe, atque à papa Sergio ſubdiaconum & ſacellarium creatum, bibliothecæ Lateranenſis curam ſuſcepiſſe, poſtmodumque diaconum factum fuiſſe. Xiſtus vero IV. idib. Julii, Pontificatus anno 6. & ab orbe redemto 1475. perpetuum cuſtodem, & veluti bibliothecarium Vaticanæ bibliothecæ tunc à ſe erectæ bulla plumbea inſtituit.

1. *Bartholomæum Platinam* Cremonenſem, ſcriptorem apoſtolicum, familiarem ſuum, ſtipendio menſtruo decem aureorum decreto, additis victu pro ſe, & tribus famulis, & equo uno, junctisque regalibus quæ Palatinis papæ familiaribus dari conſueſcunt: lignis nimirum, ſale, aceto, candelis, oleo, ſcopis & ſimilibus. Deinde mortuo Platina idem Xyſtus IV. Kal. Novembr. pontificatus ſui anno II. is eſt annus domini 1481.
2. *Bartholomæum Manfredum*, clericum Britonnenſis di-

œcesis, decretorum doctorum, familiarem sibi gratum, linguarum peritia insignem, scriptorem apostolicum, bibliothecarium creavit: atque, ut huic muneri pristinum splendorem, dignitatem, & amplitudinem restitueret, statuit, ut bibliothecarii deinceps futuri, scutiferi primi Romani pont. perpetuo essent, reciperentque stipendia, honores, & emolumenta consueta, facta prius decem millium ducatorum cautione in camera apostolica, datoque de fideli ac diligenti bibliothecæ cura jurejurando. Post hos creati sunt temporibus suis qui sequuntur.

3. *Christophorus Persona* Romanus, Prior sanctæ Balbinæ, creatus anno 1484.

4. *Johanne de Dionisiis* Venetus anno 1477.

5. N. Hispanus archidiaconus Barcinonen. anno 1492. hic est fortasse *Hieronymus Paulus* Cathalanus, canonicus Barcinonensis J. V. D. qui fuit Alexandri VI. cubicularius, inter cujus fragmenta fuit *Practica cancellariæ* Romæ edita anno 1493. pontificatus Alexandri VI. anno secundo.

6. *Johannes Fonsalida* Hispanus, episcopus Interannensis anno 1495.

7. *Fr. Volaterranus* archiepiscopus Ragusinus, anno 1505.

8. *Thomas Jugerannis*, alias *Phædrus*: Volaterranus anno 1510.

9. *Philippus Beroaldus* junior, Bononiensis, anno 1516.

10. *Fr. Zenobius Acciaiolus* Florentinus, ordinis prædicatorum, anno 1518.

11. *Hieronymus Alexander*, Carnus, archiepiscopus Brundusinus, cardinalis, anno 1537.

12. *Augustinus Steuchus Eugubinus*, episcopus Chisamensis

ſis, congregationis S. Salvatoris, anno 1538.

13. *Marcellus Cervinus Politianus*, presbyter cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem, anno 1548. creatus â Paulo III. Hic ſtipendium, & quatuor ſportulas bibliothecariis dari ſolitas recuſavit: atque inter duos correctores Latinos, & eum, qui bibliothecam verteret (ut inferius dicetur) diſtribuit.

14. *Robertus de Nobilis Politianus*, diaconus cardinalis S. Mariæ in Dominica, anno Domini 1555. creatur à Paulo IV.

15. *Alfonſus Carafa* Neopolitanus, diaconus cardinalis S. Mariæ in dominica, anno 1558. à Paulo IV. creatus.

16. *Marcus Antonius Amulius*, presbyter cardinalis Venetus anno 1565.

17. *Gulielmus Sirletus*, presbyter cardinalis Calaber, die 20. Martii anno 1572.

18. *Antonius Carafa Neapolitanus*, presbyter cardin. Tit. SS. Johannis, & Pauli, die 15. Octobr. anno 1585.

19. *Gulielmus Alanus* presb. card. Anglus anno 1591. menſe Januario à Clem. VIII. creat.

20. *Marcus Ant. Columna* epiſcop. card. anno 1594. menſe Octobr. â Clem. VIII. creatus.

21. *Antonius Saulius* presb. card. 1597. menſe Majo à Clem. VIII. creatus, & vivit.

Cum unus autem vix, aut nulla ratione poſſet tot millium librorum conſervationi vacare, & neceſſariis bibliothecæ rebus conſulere; idem Xyſtus *duos cuſtodes perpetuos* ſpectatæ fidei, & diligentiæ, qui bibliothecarium juvarent, inſtituit: dato unicuique trium aureorum ſtipendio menſtruo, victuque, & aliis neceſſariis, ut oleo, ſale, aceto, lignis, faculis, pro ſe & famulo. Atque omnium primi fuerunt *Jahannes Chadelli* clericus Lugdunenſis, 4. Kalend.

Maij; & *Petrus Demetrius Lucensis*, qui in tinello pontificis lector erat, Kalend. Maij pontificetus Xysti anno 10. creati.

Demetrio mortuo suffecit Julius II. die 6. Julii, pontificatus anno 8. *Laurentium Parmenium de S. Genesio*, presbyterum Camerinensem; & Johanni Chadelli *Romulum Mammacinum Bernardi*, canonicum Aretinum, cubicularium, & familiarem suum, Kalend. Septembr. an. 9. Idemque Julius 23. Augusti, pontificatus anno primo in singulas hebdomadas hiemali tempore salmam carbonum custodibus concesserat; sed nunc 24. salmæ dantur.

Prædictis succedunt 1534. *Faustus Sabæus* Brixianus, poëta, & *Nicolaus Majoranus* Hydrontinus; huic successit *Gulielmus Sirletus* Squillacen. per promotionem ad episcopatum Monopolitanum.

Hieronymus Sirletus Gulielmi frater successit per promotionem ad protonotariatum.

Federicus Ranaldus Valven: successit Fausto Sabæo.

Marinus Ranaldus Valven. Federici frater successit Hieronymo Sirleto.

Addidit quoque Xystus (ut nihil ad ornamentum, & decus Palatinæ bibliothecæ deesset) *librarios tres, latinum, græcum, & hæbræum;* cum victu, & menstruo salario quatuor scutorum. Paulus vero IV. scriptori *græco portionem, & stipendium duplicavit, aliosq; tres librarios adjunxit, duos græcos, & unum latinum:* illorumque uni duas sportulas, & quinque aureos menstruos assignavit; alteri vero sportulas duas, & aureos quatuor. Latino vero scriptori portionem duplicem, & aureos quinque dari jussit: instituitque librorum sarcinatorem, & confectorem; cui 4. scutorum menstruum salarium dedit.

Tandem *Marcellus Cervinus* bibliothecarius prædictus in-

instituit *duos librorum correctores, & revisores Latinos*, quibus emolumenta bibliothecariis dari solita, quæ ipse, ut diximus, recusavit, concessit; singulis tribuens bonas sportulas ex 4, quæ sibi contigerant: uni vero menstruum salarium quinque ducatorum, & alteri quatuor ducatorum tribuit, eum autem, qui remanebat ex 10. bibliothecario dari solitis, assignavit, ut stipendium menstruum ei, quem Paulus IV. instituerat, ut verteret bibliothecam, cui tamen regalia fuerunt negata. *Primi correctores* latini fuere *Gabriel Faërnus* Cremonensis, & *Nicolaus Majoranus* quibus Pius IV. correctorem græcorum librorum adjunxit, cui in singulos menses 10. aureos attribuit.) *Hucusque Onuphrius:* Quibus si ex *Leonis Allatii apibus urbanis*, sive viris illustribus, qui ab anno 1630. per totum 1632. *Romæ* adfuerunt, per *Ludovicum Grignanum* excusis, de *Alexandro Raynaldo* ejusdem bibliothecæ custode nonnulla addidero, non ingratum id lectori fore confido.

ALEXANDER RAYNALDVS (inquit ibit Allatius) J. V. D. ex loco Rhadiani in Pelignis prope Ovidii Nasonis patriam à pueris in bibliotheca Vaticana à suis majoribus in omni disciplinarum genere enutritus, postmodum à Clemente VIII. ejusdem bibliothecæ custos deputatus, per XXX. annos demandatum onus exercens, dictæ bibliothecæ instruendæ, in non modicum sedis apostolicæ & adeuntium commodum, diligentem & fidelem operam navat. *Enumeravit omnia Concilia Romæ habita*, tam impressa, quam non impressa, adjecitque ex Vaticanis codicibus ab aliis ignorata vel derelicta. Tradidit exemplar Scipioni Cobelluccio cardinali S. R. E. bibliothecario.

Descripsit *omnium episcoporum seriem & actiones quamplurimas à pontificatu Bonifacii IX.* usque ad hæc tempora ex variis originalibus.

Con-

Continuavit *indicem librorum latinorum*, qui calamo exarati asservantur in bibliotheca Vaticana, *addiditq; indici sextum & septimum tomum*, cum quinque priores confecti essent à *Dominico* ejus fratre, dictæ bibliothecæ custode.

Confecit item *indicem librorum latinorum MStorum, qui ex spoliis electoris Palatini & Heidelberga* in Vaticanam bibliothecam anno 1623. advecti sunt: congessitque in eos varias observationes & notas.

Merito itaque polyhistor *Ferdinandus Carolus* tom. S. templi Vaticani in bibliotheca Vaticana tom. I. capite de bibliothecariis, in fine de Raynaldorum in Vaticanam bibliothecam opera: *Sabæum secutus Federicus Raynaldus perpetuos ex sua gente custodes peperit bibliothecæ, qui 80. per annos fide singulari suam industriam pontificibus approbavere. Hieronymum Sirleti, Marinum Federici fratrem, & Thomam Sirletum Gulielmi nepotem eadem fere tempestate custodes bibliothecæ recepit. Dominicus quoq; Raynaldus & postea Dominici frater Alexander, mira facilitate morum devinciens sibi adeuntium animos, diutius invigilarunt bibliothecæ custodiendæ. Alexander autem postremus in ordine, vertentibus annis Balthasarem Ansideum extulit & Nicolaum Alamannum* &c.

Hæc Allatius dicto libro. De Ansideo & Alamanno plura legere qui volet, adeat *Janum Nicium Erythræum* Pinacotheca I. capp. LX. & LXX.

EJUS-

XIII.

EIUSDEM VATICANAE DESCRIPTIO, AUCTORE ANTONIO CICARELLA.

DE bibliotheca Vaticana paulo copiosius dicturi, speramus hanc nostram prolixitatem lectori fastidium non allaturam. Quae enim in hac bibliotheca picta sunt, in quibus recensendis copiosiores erimus, hujusmodi profecto sunt, quae & utilitatem simul & voluptatem legentibus adferent: iis praesertim, qui rerum antiquarum sunt studiosi. Inter alia jucundissima loca, quae in Vaticano sunt, is est primarius, quem *beluedere* nuncupant, in quo cernitur amplissimum quoddam theatrum, ad cujus introitum magnus erat numerus distinctorum graduum, seu scalarum ex marmore jussu Pii quinti factarum: ut cum in theatro festum celebraretur, â populo cuncta quam commodissime spectari possent. Hunc locum Sixtus tanquam suo instituto aptissimum elegit. Sublatis itaque gradibus in eo loco cœpit aedificare. Praeter aedificia vero quae libris reservantur, alia confestim nova condidit, in usum eorum qui hanc bibliothecam custodiunt: quorundam etiam litteratorum, qui ea incolerent, ut ipsius protectoris si quando valetudinis gratia suum mutare velit habitaculum. Ipsum autem bibliothecae aedificium est longum & vacuum ad trecentos octodecim palmos in longitudine, sexaginta vero novem in latitudine extensum. Multas habet in medio columnas cœmentitias, optimo ordine dispositas, ipsum autem aedificium occidentem spectat, unde & lumen intercipit: licet â meridie quoque & ortu illustretur. A latere molis hujus, in usum bibliothecae publicae constructae, duo alia

In Vita Sixti V. historiae Platinae subnexa. edit. Colon. 1626. pag. 468. & seqq.

mino-

minora ædificia adjecta sunt, quæ bibliothecæ serviunt secretiori. Totam hanc bibliothecam Sixtus foris, & intus elegantissimis picturis exornavit. Foris namque parietes calce nigra & candida jussit incrustari, & in iis multas virtutum, scientiarum, aliarumque ad rem literariam pertinentium, imagines delineari. Intus vero præter alia multa, quæ cernuntur, pingi fecit ecclesiæ concilia sedecim, & sub uno quoque propria sua legitur inscriptio. Duæ inscriptiones cum sint lectu dignissimæ, contineantque res memorabiles, non piguit nos eas hoc loco recensere, sperantes alios easdem non absque utilitate lecturos.

Sub primo itaque concilio Nicæno hæc verba descripta sunt. *S. Silvestro papa, Fl. Constantino Magno imper. Christus Dei Filius Patri consubstantialis declaratur. Arii impietas condemnatur. Ex decreto concilii Constantinus imper. libros Arianorum comburi jubet.* Sub concilio Constantinopolitano, quod proxime sequitur, sic legitur: *S. Damaso papa & Theodosio Jun. imp. Spiritus Sancti divinitas propugnatur. Nefaria Macedonii hæresis extinguitur.* De Ephesino concilio dicuntur hæc: *S. Cælestino papa & Theodosio Sen. imp. Nestorius Christum dividens damnatur. B. Maria virgo Dei genitrix prædicatur.* Sequitur pictura primi concilii Chalcedonensis sub quo legitur: *S. Leone P. P. & Marciano imp. Infelix Eutyches unam tantum in Christo naturam afferens, confutatur.* Secundo conc. Constantinopolitano, quod proximum est, hæc inscriptio subjecta est, *Vigilio papa & Justiniano imp. Contentiones de tribus capitibus sedantur. Origenis errores refelluntur.* Juxta concilium hoc aliud tertium Constantinopolitanum expressum est, cum hac inscriptione; *S. Agathone papa, Constantino Pogonato imp. Monothelitæ hæretici, unam tantum in Christo voluntatem dicentes exploduntur.*

De

De concilio Nicæno ſecundo, ibidem picto, ſic dicitur: *Adriano papa, Conſtantino Irenes F. Imp. impii iconomachi rejiciuntur: ſacrarum imaginum veneratio confirmatur.* Quarto concilio Conſtantinopolitano adſcriptum eſt. *Adriano II. papa, Baſilio imp. Ignatius patriarcha Conſtantinop. in ſuam ſedem, pulſo Photio reſtituitur.* Pone hoc ſpectatur primum concilium Lateranenſe generale, cum hoc elogio, *Alexandro 3. pont. Federico 2. imp. Waldenſes & Cathari hæretici damnantur; laicorum & clericorum mores ad veterem diſciplinam reſtituuntur. Torneamenta vetantur.* Sub ſecundo univerſali concilio Lateranenſi ſcriptum eſt; *Innocentio 3. pont. Federico 2. imp. abbatis Joachim errores damnantur, bellum ſacrum de Hieroſolyma recuperanda decernitur, cruce ſignati inſtituuntur.*

Ab uno latere hujus picturæ imago S. Franciſci eccleſiam S. Johannis, ruinam minitantem, ne labatur ſuſtinentis, cernitur: id quod Innocentius in ſomniis viderat; quare & hæc adjecta eſt inſcriptio: *Innocentio 3. pont. per quietem S. Franciſcus eccleſiam Lateranenſem ſuſtinere viſus eſt.* Ab altero latere S. Dominicus delineatus eſt, qui ejusdem Innocentii tempore hæreſin in Aquitania Toloſæ natam reſtinxit, inſcriptio illius hæc eſt: *S. Dominico ſuadente contra Albing. hæreticos Simon comes Montisferten. pugnam ſuſcepit, egregieque confecit.* Sequitur concilium primum Lugduni celebratum, cum tali inſcriptione: *Innocentio 4. pont. Max. Fridericus 2. hoſtis eccleſiæ declaratur, imperioq; privatur. De terræ ſanctæ recuperatione conſtituitur. Hieroſolymitanæ expeditionis dux Ludovicus deſignatur. Galero rubro & purpura cardinales donantur.* Sub concilio Lugduni celebrato Sixtus etiam ſcribi mandavit: *Gregorio X. pont. Græci ad S.R.E. unionem redeunt. In hoc concilio S. Bonaventura egregia virtutum officia eccleſiæ Dei præſtitit, Tartarorum rex à F.*

Hieronymo ordinis minorum ad concilium perducitur. Rex Tartarorum solemniter baptizatur. Post dicta concilia cum sequenti scriptura spectatur concilium primum Viennense; *Clemente V. pont. Clementinarum decretalium constitutionum codex promulgatur. Processio solemnitatis corporis Domini instituitur. Hebraicæ, & chaldaicæ linguæ professio, fidei ergo, in nobilissimis quatuor Europæ academiis instituitur.* Picturæ de concilio Florentino subscriptum est: *Eugenio 4. pont. Græci, Armeni, Aetiopes ad fidei unitatem redeunt.* De concilio Lateranensi ultimo sic dicitur: *Julio 2. & Leone X. pont. max. bellum contra Turcam, qui Cypriam & Aegyptum proxime Sultano victo occupabat, decernitur. Maximilianus cæsar, Franciscus rex Galliæ, bello Turcico duces præficiuntur.* Inscriptio denique concilii Tridentini, quod ultimo loco depictum cernitur, hæc est: *Paulo 3. Julio. 3. Pio. 4. pont. lutherani & alii hæretici damnantur. Cleri populiq; disciplina ad pristinos mores restituitur.*

Præter hæc concilia, etiam hic celebriores totius orbis terrarum, quæ ab orbe condito fuere; depictæ spectantur bibliothecæ; quas & nos hic quoque summa, qua possumus brevitate cum suis inscriptionibus referemus. Prima itaque inter has est hebræorum, cum his literis: *Moyses librum legis Levitis in tabernaculo reponendum tradit. Esdras sacerdos & scriba bibliothecam sacram restituit.* Sequitur bibliotheca Chaldæorum in Babylonia; *Daniel & socii scientiam Chaldæorum addiscunt. Cyri decretum de templi instauratione Darii jussu perquiritur.* Græcorum, seu Atheniensium bibliothecæ inscriptum erat: *Pysistratus primus apud Græcos publicam bibliothecam instituit. Seleucus bibliothecam â Xerxe asportatam, referendam curat.* Sub bibliotheca Aegyptiorum, quæ erat Alexandriæ, scriptum legebatur; *Ptolomæus ingenti bibliotheca instructa, Hebræorum libros concupiscit: Se-*

ptua-

ptuaginta duo interpretes ab Eleazaro missi, sacros libros Ptolomæo reddunt. Bibliotheca Romana hunc habet titulum: *Tarquinius superbus libros sybilinos tres, aliis à muliere incensis, tantundem emit. Augustus cæsar, Palatina bibliotheca magnifice ornata, viros literatos fovet.* Hanc sequitur bibliotheca Hierosolymitana, sub qua appositum erat; *S. Alexan. episcopus & Mart. Decio imper. in magna temporum acerbitate sacrorum scriptorum libros Hierosolymis congregat.* Deinde bibliotheca Cæsariensis, cum hac inscriptione; *S. Pamphilus presbyter & martyr admirandæ sanctitatis & doctrinæ, Cæsareæ sacram bibliothecam conficit: multos libros sua manu describit.* Hanc juxta depicta est bibliotheca apostolorum, de qua sic prædicatur; *S. Petrus sacrorum librorum thesaurum Romana ecclesia asservari jubet.* Bibliotheca pontificum ultimo loco cernitur effigiata, cujus hæc est inscriptio: *Romani pontifices apostolicam bibliothecam magno studio amplificant & illustrant.*

Quod si antea nobis constitisset, materiam hanc de bibliothecis tam fore prolixam, forsan aut ab ea abstinuissemus, aut non ita exacte atque singulariter eas descripsissemus. Nam & exiguum illud, quod superest silentio transire non possumus, tum ut opus sit absolutum, postquam sit cœptum: tum etiam, quod nobis omnino persuasum est, eos quibus jucundum est legere libros, etiam cum voluptate visuros res tam singulares, ad ipsos libros pertinentes. Dicemus igitur in sequentibus, istic ostendi pictos omnes homines, qui ob literarum inventionem toti mundo sunt celebriores. In prima columna spectatur Adamus cum hoc titulo: *Adam divinitus edoctus, primus scientiarum & literarum inventor.* Secunda columna exhibet filios Seth, Adami nepotes, cum hoc elogio: *Filii Seth columnis duabus rerum cœlestium disciplinam inscribunt.* Sequitur Abraham, sub quo notatum est: *Abraham Siras & Chal-*

Chaldaicas literas invenit. Pone illum expressæ sunt literæ, quas ille invenit. Post Abrahamum cernitur Moyses, dux & legislator populi Hebraici, cum hac scriptura; *Moyses antiquas Hebraicas literas invenit.* De Esdra vero sacerdote & scriba ejusdem populi Hebraici, qui proxime collocatus est, dicitur: *Esdras novas Hebræorum literas invenit.* In tertia columna prodit Mercurius Aegyptius, ejus titulus est: *Mercurius Theott Aegyptiis sacras literas conscripsit.* Adjunctum habet ille Herculem Aegyptium, de quo legitur: *Hercules Aegyptius Phrygias literas conscripsit.* De Memnone qui sequitur, hæc referuntur: *Memnon Phoroneo æqualis, literas in Aegypto invenit.* Non procul hinc Isis regina Aegypti spectatur, cujus hæc est inscriptio: *Isis regina, Aegyptiarum literarum inventrix.* In quarta columna imago Phœniciæ regis delineata est, eique subscriptum: *Phœnix literas Phœnicibus tradidit.* Sequitur Cadmus, cui adscriptum est: *Cadmus Phœnicis frater literas sexdecim in Græciam intulit.* Ipsæ autem literæ supra caput illius depictæ sunt. His literis dicitur Palamedes adjunxisse quatuor alias, & totidem alias Simonides medicus, quæ omnes simul junctæ faciunt viginti quatuor. Aristoteles (ut scribit Plinius) dicit antiquas literas Græcorum fuisse decem & octo, duas adjunxisse Epicharmum & non Palamedem. Ipsa autem rei veritas incerta est, & dubia, cum in obscurissimæ antiquitatis visceribus sepulta sit. Subsequitur Linus Thebanus, cum his verbis: *Linus Thebanus Græcarum literarum inventor.* Inde Cecrops Atheniensium rex, cui adjectum: *Cecrops Dipies primus Atheniensium rex, Græcarum literarum author.* In quinta columna primo loco pictus est sapiens ille philosophus Pythagoras, de quo dicitur: *Pythagoras literam ad humanæ vitæ exemplum invenit.* In alio columnæ latere effigies Epicharmi Siculi, cum

cum hoc dicto: *Epicharmus Siculus duas Græcas addidit literas.* Simonidi Melio hæc verba subjuncta sunt: *Simonides Melius quatuor literarum inventor.* Palamedi vero hæc: *Palamedes bello Trojano literas quatuor adjecit.* In sexta columna posita est imago Nicostratæ Carmentæ matris Evandri, hanc sub se habens inscriptionem. *Nicostrata Latinarum literarum inventrix.* Literæ, quas invenit, ibi quoque appositæ sunt hæ: A, B, C, D, E, F, G, H, I, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, Subsequitur Evander rex Arcadiæ, cum hac inscriptione: *Evander Carmentæ F. Aborigines literas docuit.* Junctum habet ille sibi Demaratum Corinthium, cujus elogium est: *Demaratus Corinthius Hethruscarum literarum author.* Hic vero Claudium cæsarem Romanorum imperatorem, de quo legitur: *Claudius imp. tres novas literas adinvenit.* Hæc verba sub illo scripta sunt: at supra caput illius additum est F. reliquæ duæ usu obliteratæ sunt. Hoc est, una istarum literarum est F. reliquæ duæ non amplius in usu sunt, neque satis constat, quæ istæ fuerint. Mihi autem non fit verisimile literam F. Claudio inventam, cum ea apud Ciceronem, qui multis annis Claudii tempora antecessit, inveniatur: immo is ipse nono libro epistolarum ad Atticum prædium suum vocat Formianum. Digamma, quia incipiebat à litera F. quæ dicitur digamma, cum figuram duorum T, habere videatur. Dicendum itaque est: Claudium literam hanc dilucidius explicasse, aut aliud quod circa illam egisse, unde nomen inventoris consecutus est. In septima columna imago S. Joannis Chrysostomi visitur, cui subjecta est hæc subscriptio: *Joannes Chrysost. literarum Armenicarum inventor.* Et effigies D. Hieronymi, cum hoc titulo: *S. Hieronymus literarum Illyricarum inventor.* Post illum S. Cyrilli, de quo; *S. Cyrillus aliarum literarum Illyricarum inventor.* Illos sequitur Vlphilas episcopus, cui sub-

subjectum: *Vlphilas episcopus Gotthorum literas adinvenit.* In octava & ultima columna effigies domini nostri Jesu Christi formata est, cui subscriptum: *Christus summus magister, cœlestis doctrinæ author:* deinde pontificis Romani, cum hoc titulo: *Christi domini vicarius:* tandem & imperatoris, cujus inscriptio est: *ecclesiæ defensor.*

Hæc sunt præcipua, quæ in bibliotheca Vaticana publice depicta spectantur, scriptaque leguntur. In secreta vero bibliotheca doctorum ecclesiæ, multorumque sanctorum effigies, cum multis præclaris Sixti operibus & monumentis delineatæ sunt. Has omnes figuras ordine recenseri non est nostri instituti, putavimus enim hic non omnia, sed ea tantum describenda, quæ in hac bibliotheca videntur celebriora, magisque singularia. Superest ut coronidis loco huic quoque descriptioni addamus duas illas tabulas marmoreas, quæ in dicta bibliotheca cernuntur, & quæ in iis scripta sunt, hoc loco referamus. In priore tabula referuntur hæc.

Sixti V. pont. max. Perpetuo hoc decreto de libris Vaticanæ bibliothecæ conservandis, quæ infra sunt scripta, hunc in modum sancita sunto, inviolateq; observantor. Nemini libros, codices, volumina hujus Vaticanæ bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, aliove asportandi, non bibliothecario, neq; custodibus, Scribisq;, neq; quibusvis aliis cujusvis ordinis & dignitatis, nisi de licentia summi Rom. pont. scripta manu facultas esto. Si quis secus fecerit, libros, partemve aliquam abstulerit, extraxerit, clepserit, rapseritq;, carpserit, corruperit, dolo malo, ille â fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto. A quoquam præterquam Rom. pont. ne absolvitor.

Secundæ vero tabulæ inscriptio ad perpetuam rei memoriam hæc est: *Sixtus pont. max. bibliothecam apostolicam, sanctissimis prioribus illis pont. qui beati Petri vocem audive-*

diverunt, in ipsis adhuc surgentis ecclesiæ primordiis inchoatam, pace ecclesiæ reddita, Laterani institutam: a posterioribus deinde in Vaticano, ut ad usus pontificios paratior esset, translatam, ibiq; a Nicolao V. auctam, a Sixto IV. insigniter excultam, quo fidei nostræ & veterum ecclesiasticæ disciplinæ rituum documentis omnibus expressa, & aliorum multiplex sacrorum copia librorum conservarentur, ad puram & incorruptam fidei veritatem, perpetua successione in nos derivandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cum loco depresso, obscuro, insalubri sita esset, aucta peramplo vestibulo, cubiculis circum & infra: scalis, porticibus, totoq; ædificio a fundamentis exstructo, subselliis, pluteisq; directis, libris dispositis, in hunc editum, perlucidum, salubrem, magisq; opportunum locum extulit. Picturis illustribus undiq; exornavit, liberalibusq; doctrinis & publicæ studiorum utilitati dicavit. Anno M D LXXXVIII.

Pont.

XIV.

DE BIBLIOTHECA REGIA S. LAURENTII SCORIALENSI IN HISPANIA EPISTOLAE DUAE BALTHASARIS CORDERII.

Reverendissimo in Christo patri P.F. Balthasari de Fuenlabrada, regii monasterii S. Laurentii priori, cæterisq; ejusdem cœnobii religiosis.

Præfixæ sunt Cyrilli Alexandrini. homil. xix. in Jeremiam prophetam: editis Antwerp. ex offic. Plantin. 1648.

REDIT post liminio ad vos RR. PP. unde non ita pridem abiit, D. CYRILLI ALEXANDRINI in JEREMIAM prophetam tractatus: & redit, opinor cum fœnore: idque, sive antiquorum larium; quos tanto tempore ibidem custoditus incoluit, memoria, grataque recordatione; seu potius gemellorum fratrum (ejusdem inquam Auctoris partus) ibidem adhuc delitescentium in DANIELEM & EZECHIELEM commentariorum amore motus; qui in septem illius tomis, nuper admodum Parisiis impressis, ex monumentis istius patris omnibus, quæ quidem extare uspiam in hodiernum diem feruntur, soli, quod sciam desiderantur, cum hoc, quod nunc vestris auspiciis publici juris facio in JEREMIAM homiliarum opusculo. Debebam hoc vestris in me meritis & humanitati, qua ad hebdomadas omnino quatuor hospitem cum benevolentia non vulgari me ibidem excepistis.

Juvat adhuc meminisse veteris hospitii ac Basilicæ illius augustissimæ, quam prudentissimus juxta ac piissimus REX PHILIPPUS II. suæ in Deum pietatis, & in ordinem vestrum bene affecti animi publicum ac perpetuum esse voluit monumentum. Equidem nihil omnino illi simile aut secundum videre me memini in orbe Europæo

ropæo pæne qua patet universo; sive soliditatem operis, seu structuræ elegantiam simul ac majestatem spectes; absolutissima sunt omnia, nihilque prorsus quod desideretur.

Sed mirentur hæc alii, ac prout par est æstiment molem operis vere regiam, sumptibus immensis exstructam, qui nihil nisi exteriorem rerum superficiem splendoremque mirantur: ego vero illud interius virtutis vestræ atque animi domicilium vivis illis ac sectis quibuscunque pretiosissimis lapidibus infinito intervallo præstantius multo magis miror & suspicio. Illud religiosum in amplissima familia ac domo silentium, ceterarum virtutum, non secus atque index horologii bene compositi, argumentum. Vt nil dicam de sanctissimis moribus, quos in viris ætate ac probitate conspicuis mira quadam comitate mista, nativa gentis gravitas ac modestia condit atque commendat: de eximia in hospites benevolentia ac charitate, qua priscis illis ascetis pares, aut fortasse, quia facultatibus superatis, etiam estis superiores: de divinæ psalmodiæ cultusq; sacrorum majestate ac magnificentia, qua nihil uspiam memini me videre solemnius, cum inibi justa annua funebria CAROLO V. imperatori olim summo, à vobis persolvi coram vidi. Vt taceam pietatem singularem, qua novem quotidie horis in Odeo pro principum incolumitate psalmos Deo decantatis, & ad aram facitis. Quæ omnia exterioribus illis tanto sunt præstantiora, quanto antestant divina humanis, immortalia & sempiterna mortalibus ac caducis.

Sed aliud omnino est, quod silentio præterire non possum, etsi vel maxime vellem; illud nimirum quod vel solum e Belgio ad tantum iter suscipiendum excire & impellere me potuit, bibliotheca nimirum vestra celeberri-

ma; non illa, quæ tot picturis artificiosissime ad fallendum oculum elaboratis, tot impressis inauratisque ac splendidissime compactis codicibus dulcissimo spectaculo pascit intuentium oculos animosque; non, inquam, hæc tam mihi cordi est, quam illa quæ in proximo recessu latet in altero illo conclavi, quod meros continet M.SS. codices, Hebræorum, Arabum atque Græcorum, plurimorumque sanctissimorum ac veterum patrum Græcorum adhuc inedita monumenta. Hi quantumvis splendide compacti, summa cura custodiantur, magna tamen ex parte senesi, cum cariosa & damnosa vetustate luctantes auctores me e Belgio ac patria rapiendi vim habuere, in quibus litteræ fugientes, deleto tantum non atramento omni, vix ac ne vix quidem, adhibitis etiam convexioribus specillis vitrisque microscopiis, colligi possunt, nisi ab admodum perito, diuque in his studiis ac provincia versato, uti mihi non semel in variis hujus S. CYRILLI opusculi locis eruendis usu venit.

Vtinam enim vero cum bona vestra venia diutiuscule non nihil, ac majori cum fructu, illis immorari licuisset! Fecissem profecto; hujus ut in me, rempublicam litterariam, ac (quod maximum omnino est) in ipsam ecclesiam collati beneficii numquam vos pœnituisset. Effecissem, inquam, ut constitisset orbi, nulli omnino debere cedere bibliothecam vestram (ex qua tamen vix quidquam adhuc omnino prodiit) imo superare etiam multas alias, ex quibus quotannis ingentia volumina, regum ac principum virorum nominibus inscripta, in lucem eduntur; cum apud vos sæpe exemplaria & melioris notæ, & vetustiora, sed ingloria jaceant, quod nulli, nisi domesticis, & quidem paucis nota, delitescant, quæ sanctissimi patres olim scripsere, ad illustrandum doctrina sua totum orbem terrarum.

Animus

Animus quidem mihi erat bibliothecam regiam Hispanicam, regio vestroque nomini inscriptam, e copioso illo penu vestro excudere, ac tomo uno alterove bibliothecam SS. patrum Græcorum locupletare; sed cum id mihi non licuerit, spero vos, (quod regi pollicitos esse inaudii) me in his etiam facturos majora, brevique opera vestra (neque enim ad hæc etiam vobis præclara & exercitata in his ingenia desunt) proditurum & accessurum meis D. CYRILLI in DANIELEM & EZECHIELEM opus, ac D. Chrysostomi plurimas in psalmos, aliasque aliquot adhuc ἀνεκδότους homilias. Quod ut quam citissime fiat, mecum respublica literaria, imo & ipsa Dei sponsa S. catholica ecclesia, non exspectat tantum, sed efflagitat. Id si præstiteritis, & me hoc onere levaveritis, & ingens ac immortale, & regio & vestro nomini & bibliothecæ addideritis incrementum.

Reverendissimæ Vestræ paternitatis, cæterorumq; patrum

Servus in Christo

BALTHASAR CORDERIUS.

EIUSDEM CORDERII
EPISTOLA ALTERA
AD LECTOREM, IBIDEM.

HUjus S. CYRILLI in Jeremiam prophetam opusculi e regia S. Laurentii Scorialensi bibliotheca, consensu ac favore suæ majestatis & Reverendissimi patris prioris totiusque venerandi capituli, quorum auspiciis nunc primum prodit, edendi in lucem occasio ac ratio ut tibi constet, hæc paucis accipe.

Perductis jam ad umbilicum iis quæ post editionem psalmorum paraveram in quatuor evangelistas SS. patrum Græcorum ἀνεκδότοις catenis; magnaque ex parte excusis iis, quæ ex imperatoria Viennensi, ex Vaticana pontificis, ex electorali Bavarica, ex Saulia Genuensi bibliothecis collegeram (præter Catenam in Marcum, & Joannis Calecæ ac Ceramei in evangelia totius anni homilias, & Joannem Geometram de Deipara, quæ adhuc prælum exspectant) animus fuit aliquid etiam ex regia (ne externis principibus plus quam regi proprio detulisse viderer) longe celeberrima totique Europæ notissima bibliotheca, quæ in monasterio D. Laurentii Scorialensi vere regio adservatur, in lucem edere; ubi luculentos omnino reperturum me hujuscemodi thesauros, quod parum aut nihil admodum ex ea adhuc prodiisset, uti revera reperi, speraveram. Ad id cum animos fecissent majores amplissimæ Sac. Cæs. majestatis litteræ ad regem catholicum quarta Octobris, anno M DC XLVI. Possonio datæ, quibus id negotii ad sanctæ Romanæ ecclesiæ utilitatem in primis posse conferre significabat; accessissent etiam litteræ serenissimi archiducis Leopoldi, futuri tum propediem Belgii ac Burgundiæ pro rege gubernatoris, quibus hoc consilium meum animosque pro suo in sacra hæc studia affectu maximopere probabat; ac præterquam quod ad hæc ultro hortaretur, suas etiam de eo commendatitias ad regem nostrum adderet: equidem ne qua meis deessem partibus, accedente præsertim ad id superiorum meorum nutu (quem quidem ego semper pro imperio habui) non dubitavi etiam incommoda anni tempestate, ingruente hyeme, pertransita quam late patet Gallia, Belgis quidem pro tempore hostili, sed tamen amica musis, tantum tamque incommodum iter suscipere, mediosque Pyrenæos media hyeme, post ipsum Domini natalem,

tra-

trajicere; ac deinde anno M DC XLVII. ineunte, biduo â Cæsar-Augusta Mantuam Carpetanorum versus per altum æquor nivium eluctari brachio sinistro non ita paulo ante in Pyrenæorum montium vertice, glaciei lubricitate pedem fallente, luxato. Tot exhaustus itineris molestiis, Mantuam tandem Carpetanorum attigi. Ibi benignissime, ut totius gentis Austriacæ ac domus Augustissimæ mos est, aut natura potius, a rege ad exponendum quæ postularem admissus, oblatis ad id etiam Marchionis Castel Rodericii, Belgii tum pro rege gubernatoris litteris, quibus me e Belgio abeuntem instruxerat, spe & opinione citius, plura quam optare potuissem, consecutus sum. Non enim tantum consilium meum animosque pro innata benignitate ac clementia probabat ac laudabat rex; sed insuper regias dedit litteras Balthasari de Fuenlabrada, regii monasterii S. Laurentii priori, inscriptas, quibus excipi ibi me cum omni benevolentia, subministrarique omnia, quæ ad rem meam facerent, verbis amplissimis ac præter solitum prolixis jubebat: Eo ut appuli, exhibitis suæ majestatis litteris exceptus sum perhumaniter ab eo qui vices reverendissimi P. prioris gerebat, dum alter abesset. Is ut adfuit, re cum suis communicata & expensa, regiis litteris (quod suo jam acquisito pridem per PHILIPPI II. fundatoris donationem juri derogare viderentur) replicandum censuit. Ad hoc enim se pro muneris sui ratione teneri, regique, ut benevolentissimo monasterii patrono, solere id nec novum, nec ingratum accidere. Interea tamen temporis dum S. majestas eo brevi ventura expectabatur, ut suum erga me benevolum animum ostenderet, bibliothecam lustrandi, indeque ad cubiculum, in quo hospitabar, duos tresve codices, e quibus quæ vellem describerem, mecum asportandi

tandi

tandi, copiam fecit. Quibus gratissimo, uti par est, animo acceptis, statim operi manum admovi, & trium circiter hebdomadarum spatio hocce Cyrilli opusculum, quod nunc publici juris facio, descripsi. Quo absoluto, cum ad ejusdem S. patris *in Danielem & Ezechielem* commentarios, in editis hactenus operibus desideratos, similiter describendos me accingerem, intelligo a rege restrictam facultatem ad certas duntaxat σποράδην sententias, & non integros patrum tractatus describendos. Itaque ad hunc modum restricta licentia, cum meo scopo parum opportuna videretur; actis reverendissimo P. priori pro quatuor hebdomadarum hospitalitate gratiis quas poteram amplissimis, Madritum, unde veneram, reversus sum. Vbi rex, de tam repentino meo reditu per excellentissimum dominum Ludovicum de Haro, supremum aulæ præfectum, certior factus, motu proprio, præter omnem cogitationem & exspectationem meam, pro innata sibi æquitate, ac in sacra studia propensione, tres theologos gravissimos doctissimosque constituit, qui reverendissimi P. prioris measque rationes expenderent, & quod ex majori ecclesiæ bono foret decernerent. Hi omnibus utrimque rationibus serio expensis, statuerunt quidem boni ecclesiæ publici interesse, ut dicta SS. patrum opera latine traducta in lucem prodeant, sed græcum textum minime a me describendum, sed intactum relinquendum bibliothecæ, tanquam antiquitatis ac raritatis κειμήλιον ac monumentum, adeoque, si vellem, denuo Scorialem reverterer, & ibidem græco textu intacto relicto, eundem latine redderem, ac publici juris facerem.

Verum, cum id e re mea minime esse judicarem, parumque ad scopum facere, quem mihi proposueram, rationes, cur id minus expediret, in chartam conjeci; scilicet,

cet, characteres in primis ob exemplarium vetustatem, quibusdam in locis adeo confusos esse ac deletos, vix ut colligi possint ac legi, nedum genuinus inde sensus ac verus erui, nisi prius clare magis ac distincte descripti fuerint. Quod nisi aliquando fiat, fore ut brevi non tantum sancta ecclesia, sed & ipsum monasterium omni illorum usu fructuque cariturum sit, literis omnino fugientibus, atque à blattis tineisque semesis hinc inde & perrosis pagellis, ut in compluribus codicibus observare me memini. Tum longioris esse operæ ac temporis opus interpretationem, quam descriptionem: majoris esse pretii textum ipsum stylumque, quo hæc opera ab ipsis sanctis patribus scripta sunt, quam cujusvis accuratam, versionem. Facere hunc ad schismaticorum etiam conversionem, aliorumque latine nescientium; ad confusionem hæreticorum prolatis authenticis ipsis testimoniis, & constante ex ipsis auctorum verbis fide interpretis. Denique addendas, ubi res exigit, annotationes meas, ut in cæteris a me impressis additæ sunt, quæ non nisi ex græcis adjunctis constare possunt.

Hæc cum regi una cum supplice pro me libello, pro suo in hæc studia affectu, vir doctrina clarissimus & dignitate Illustrissimus, D. Laurentius Ramiresius de Prado, olim extraordinarius in Gallia legatus, & modo regius in supremo Castellæ concilio assessor, obtulisset, quo præter cetera superius recensita, affert complura & illustria exempla clarissimorum virorum, eminentissimi cardinalis Francisci Ximenii in bibliis Complutensibus, Ariæ Montani in Regiis, Petri Grial & Petri Ciacconii in operibus S. Isidori archiepiscopi Hispalensis, jussu & auctoritate PHILIPPI II. regis catholici editis; Garsiæ de Loaysa in conciliis Toletanis; quibus omnibus idem quod

Q postu-

postulabam concessum, summæque & regibus qui concesserunt, & bibliothecæ S. Laurentii unde desumpserunt, & illorum qui ediderunt laudi datum. Hæc, inquam, & alia plura in eodem libello contenta, cum suæ majestati obtulisset, nec aliud quam quod in consilio, seu potius consultatione (quibus rex stare solet) ultima statutum fuerat, impetrasset, acquiescere regiæ benevolentiæ ac favori, quem sane nimium in hisce audiendis excutiendisque adhibuerat, statui: post prius inter positam summorum virorum reverendissimi & illustrissimi nuntii suæ sanctitatis Julii Rispigliosii, atque excellentissimi D. Marchionis de Caretto y Grana, S. Cæs. majestatis oratoris, excellentissimi, D. Ludovici de Haro, aulæ regiæ præfecti, excellentissimi D. Marchionis de Leganes, aliorumque complurium opem ac patrocinium ad hæc sacra studia ultra deferentium; fructu quidem quam speraram, & voluissem minore, non tamen, ut arbitrior, pœnitendo. Tanti enim est, vel hocce S. CYRILLI opusculum in lucem protulisse, ceterisque ejus operibus, quæ suspicit & veneratur catholica ecclesia, adjunxisse.

Atque utinam brevi sequantur ejusdem auctoris in Danielem & Ezechielem commentarii, eodem, unde hæc descripsi codice contenti thesauri, sane non contemnendi, aut abscondendi, qui eo semper sunt majores, quo pluribus communes (secus atque in bonis hisce mortalibus fluxis ac caducis) sine ulla sui diminutione aut detrimento.

Atque hæc sunt, amice lector, quæ scire te volui, ut perspectum sit omnibus, & innotescat meum hac in parte studium ac diligentia. Faxit Deus, cui omnis hæc mea hactenus desudavit industria, omnia hæc cedant ad majorem illius nominis gloriam, ac salutis animarum incrementum.

Ani-

Animus etiam fuerat catalogum M. SS. omnium ἀνεκδότων in ibi latentium simul excudere; in quo concinnando diligentem operam posuerat meus itineris ac laborum in hoc studio socius Alexander Barvoetius, collatis ad id per menses aliquot Possevini apparatu ac Gesneri bibliotheca, aliisque pluribus M. SS. Scorialensium, examinatisque ad ipsos codices catalogis: verum jam absolutum, homo quispiam subdiscessum nostrum sublatum, nunquam restituit. Subdo igitur præcipuos tantummodo auctores, prout è memoriæ penu eos dictus socius meus utcunque potuit resarcire. Ex quibus, licet paucis, quos suggerere potuit non nimium tenax memoria, facile φιλίστορες atque eruditi omnes colligant, quanti adhuc lateant inediti veterum monumentorum thesauri.

XVI.

CATALOGUS PRAECIPUORUM AUCTORUM INEDITORUM

M.SS. qui in bibliotheca SCORIALENSI asservantur:

OPERA

ALEXANDRI BARVOETII.

PRior numerus pluteum significat; secundus loculamentum, tertius codicem: non omnibus autem sui appositi sunt numeri, quod catalogum meum una cum notis meis ac observationibus, cum abirem, non restituerit is, cui concesseram; qui satis accuratum omnium græcorum M. SS. inibi delitescentium habet indicem, à Davide Coluillo Scoto *confectum; quem propediem, unà cum notis meis ac animadversionibus ad auctores ineditos edere cogitat in lucem, si è re sua nancisci potuerit typographum.*

INDEX græcorum M.SS. ipsius bibliothecæ B. VII. I. *Sed antiquus, nec adeo accuratus, quam sit ille Coluilli quem concinnavit nuper admodum recensitis pluribus codicibus, adjectisq; notulis quibusdam ac animadversionibus subinde non contemnendis.*

INDEX græcorum codicum M. SS. bibliothecæ Vaticanæ. 12. VII. g. item I. I. I. *Sed scriptus ante annum 1600. à quodam græce ac latine imperito, adeoq; nullius pene pretii; tametsi splendide compactus, atque elegantia quæsita videatur in charactere.*

Index M. SS. codicum græcorum ac latinorum cardinalis Sirleti ac cardinalis Rudolphi. *Ibid. Aliquot tantum*

tum folia sunt: totusque index cardinalis Rudolphi fere citatur etiam à Gesnero in bibliotheca.

ABBATIS ABRAHAM ascetica quædam capita in anthologio patrum & alibi. *Ejusdem videntur hæc, quæ alias Lauræ Monachi inscribuntur, habeturque interpres sermonum Isaaci Syri, ex quibus hæc fortasse etiam desumpta. Fragmenta tantum sunt, adeoq; non maximi pretii; uti & ipsum Anthologium græcorum patrum collectum ex quinquaginta plus minus auctoribus qua editis qua ineditis, maxima tamen parte ex editis & celebrioribus*, Chrysostomo, Basilio, Gregorio utroque, Damasceno &c. Z. III. Z. *præclarum omnino opus, si una cum asceticis reliquis sanctorum patrum opusculis græco-latine ederetur, indicatis locis unde desumtum.*

ABAMONIS responsio ad Anebonem de quæstione Susannæ.

CATENA in Habacuc canticum, *uti & in alia omnia S. scripturæ cantica: è quibus quædam edita à Balthasare Corderio Soc. JEsu in fine tertii tomi in psalmos Catenæ græcorum patrum.*

Sunt præterea ibi Catenæ SS. PP. græcorum in præcipuos veteris ac novi instrumenti libros: *In Genesin. in Leviticum:* Marcellini in *Psalmos.*

In Cantica, Polychronii, Procopii, ac Neophyti: ita dictus forte Procopius, quod antea Sophista. Neophyti nomine in A. VI. 2. Polychronii, Θ. III. 15. Z. I. 7. pagina 191. Procopii E. V. 16. Z. II. 5. *Hos omnes codices una cum R. P. Balthasare Corderio diligenter contuli cum M.S. Procopii, quod nobis R. P. Joannes Bessonus collegii Tolosani rector, sua manu descriptum ex bibliotheca archiepiscopi Tolosani, humanissime ac liberalissime fuerat elargitus. Ceterum reperi omnes plane eadem, aut non admodum diversa, inter se continere, præter præfationes quasdam ac prolegomena nullius aut sane exigui momenti: quod item in sequentibus codicibus contigit.*

In proverbia Salomonis catena nomine Demetrii. I. II. 2. Procopii. F. V. 16. pag. 139. A. VI. 2. pag. 84. Polychronii item in ecclesiastem Polychronii. E. VII. 6. pag. 189. Z. III. 19. pag. 303. E. II. 16. pag. 47 B. Procopii. A. VI. 2. pag. 274.

Atque in hæc omnia luculentus, ut videtur, commentarius ut inscribitur, Moralis & Anagogicus Malchiæ monachi paginis plus quam trecentis. A. I. I. pag. 14. *Sunt præterea catenæ SS. patrum*: In JOB. evangelia; actus apostolorum, epistolas Pauli. *Aliaq; complura sacrarum literarum volumina & loca aliis immixta auctoribus, quæ passim hic omisi, quod non nisi tractatus integros hic afferre voluerim; cum fragmentorum incertus & infinitus fere sit numerus. Titulus catenæ Jobi est*: B. Job. liber, & in eum catena enarrationum diversorum ex antiquis patribus, Dionysio Areopagita, Origene, Didymo, Gregorio Theologo, Basilio Cæsariensi, Joanne Chrysostomo, Gregorio Nysseno, Cyrillo Alexandrino, Severo Antiocheno, Clemente, Methodio, Juliano, Apollinario, Olympiodoro Diacono, Evagrio, Theodoro Mopsuestiæ, Polychronio & aliis. *Additæ sunt & quædam protheoriæ initio cujusque capitis: ad hæc variæ lectiones, notatæ asteriscis, & historiæ coloribus depictæ. Liber antiquus omnino literis majoribus scriptus in membraneis annorum DCCC. & ultra, forma folii: Videtur hæc eadem esse cum catena edita à Joanne Paulo Comitolo Venetiis, cum eosdem fere habeat, & eodem ordine auctores. De quibus plura vide apud Possevinum in apparatu.*

Titulus catenæ in Proverbia est: Salomonis proverbiorum liber, & in eum catena enarrationum sanctorum patrum Basilii, Hippolyti papæ Rom., Origenis, Didymi, Evagrii philosophi, Epiphanii episcopi Cypri, Joannis Apollinarii, Chrysostomi, Polychronii, Diodori, Eusebii, Apollonii, Olympiodori & Eustachii.

In

In eodem codice sunt: Michael Glyca de Adam: Joannis Zonaræ monachi in tetrasticha B. Gregorii theologi episc. Nazianz. expositio.

Nonni Panopolitæ interpretatio historiarum vel fabularum, quæ in invectivis B. Gregorii theologi adversus Julianum apostatam reperiuntur. *Liber in charta, recentibus litteris, forma folii.*

Titulus catenæ in Cantica: Salamonis Canticorum Cantica, & catena enarrationum, in ea Theodoreti præsertim, & Gregorii Nysseniï: Nili, Eusebii, Maximi, ac Pselli versibus politicis, sive plebeis. *Eusebii Pamphili in Cantica græce editi à Meursio, latine propediem edenda cum aliis à P. Balthasare Corderio. Liber recens in charta, forma folii. In eodem Codice sunt* Prisci Ascetæ, & Theodori Metochitæ epistolæ ad diversos.

Titulus catenæ in Isaiam: Didymi Alexandrini in Esaiam prophetam commentarii, sive epitome enarrationum ab ipso collecta ex diversis sanctorum patrum, ut Cyrilli & aliorum, scriptis. *Liber recens in charta, forma folii.*

Catenæ in prophetas majores ac minores plures sunt in diversis codicibus: sed nulla quæ accedat ad præstantiam illius, quæ asservatur in bibliotheca Magni ducis Florentiæ; præsertim in Prophetas majores, duobus maximis codicibus vetustissimis ac integerrimis, charactere rotundo quadrato in membrana: è quibus fortasse descripti ij codices qui servantur in bibliotheca ducis Bavariæ; sed non adeo vetusti nec integri.

Catenæ instar, imo omnes catenas complecti videntur in proverbia Salomonis, Malachiæ monachi sermones ethici & anagogici *in maximo volumine chartaceo, forma folii, charactere non ita vetusto, paginis fere mille, in loculo A. 1. 1.*

ACHMET medici, filii Abrahami, peregrinantium via-

viatica libris ſeptem. *Ex bibliotheca Didaci ſive Jacobi de Hurtado de Mendoca; è qua potiſſima pars græcorum manuſcriptorum codicum hujus bibliothecæ conſtat. Codices autem ſinguli manu illius notati omnes, adſcripto nomine in prima pagina. Magnus autem hic vir, uti erat litterarum ac litteratorum amantiſſimus, ſumma diligentia maximisq́. ſumptibus hos codices undique conquiſivit ex oriente, dum Venetiis degeret, regis apud rempublicam legatus. Magnum autem ad hoc illi incrementum attulit ſubmiſſa illi ab imperatore Turcarum navis græcis codicibus onuſta, dono miſſa ob obſequium aliquid præſtitum in remittendis quibusdam captivis, Imperatori Turcarum charis in paucis. Ex iis tamen libris quidam perierunt, quidam etiam ab aliis ſublati ſunt, & in aliis Italiæ bibliothecis collocati. Ceterum tota hæc hiſtoria fuſius deſcripta habetur Scoriali in ipſo monaſterio; ubi quomodo, & à quo ad hanc bibliothecam translati ſint accuratius recenſetur.*

AENEAE Tactica. I. IV. 21. cap. 43. (*forte Aeneæ ſophiſtæ, ut & Tactica Aeliani edita à Caſaubono cum Athenæo.*) *Habentur hic una cum Tacticis Leonis Imperatoris ac Baſilii. Videtur autem auctoris eſſe recentioris, ac ſequioris ævi, ut & ipſe Leo; aut fortaſſe ex ipſo Leone excerptum, aut potius adjectus titulus a græculo quopiam, uti ſubdola hac in parte eſt illa ſequioris ætatis græca natio, quo pluris codices græcos M.SS. vendant, magna nomina in fronte ſubſtituunt, cum nihil intus ſit rei: quod in plurimis aliis codicibus comperi, in quibus tituli ſplendide mendaces imponunt hominibus: unde minime fidendum catalogis, niſi a rerum peritis auctoribus atque oculatis teſtibus accurate confecti ſint, qui ſcoriam ab auro norint diſtinguere, ac* τὰ γνήσια *ab* ὑποβολιμαίω.

AESCVLAPII, *ſeu potius (ut in pluribus aliis codicibus reperi) Aſclepii Tralliani* philoſophi enarratio iſagoges Arithmeticæ Nicomachi. *Videntur autem hi commentarii ijdem*

dem cum iis, qui alias attribuuntur Anatolio, Theoni Smyrnæo, Philopono, Proclo Laodicensi: sunt autem sub nomine Asclepii Tralliani & Procli Laodicensis. Θ. v. 19.

Sub nomine Theonis Smyrnæi una cum commentariis illius in loca mathematica Platonis, qui maxime de numeris Platonicis ac harmonice agunt. K. III. 16. Δ. VII. II. pag. 279. H. v. 10. pag. 131.

Philoponi variis deinde in locis. Λ. VI. I. &c. K. I. 10. pag. 95. Δ. VII. 4.

Est & in eadem bibliotheca Philoponus in astrolabium planum, seu de usu astrolabii: liber de Pulsibus: commentarii in Elenchos Aristotelis: commentarii in quatuor posteriores physicæ auscultationis

AGALLIANI Melismata, quæ plurimas cantiones pro musica practica continent, una cum viginti aut etiam pluribus aliis tum melismatopœis, tum rhythmopœis; inter quos fere præcipuus Joannes nescio quis, dictus Lampadarius. H. v. 6. pag. 100. Ejusdem est oratio de Deipara una cum aliis orationibus. *Cantiones autem musicæ ac rhythmi de Deipara, aliisq; sanctis, habentur in variis codicibus, & maxime (si memini; omnia enim hæc è memoria ac fragmentis quibusdam schediorum mihi reliquis eruere necesse est, cum notæ omnes ac observationes meæ mihi sint ablatæ) pluteo* Θ *in variis codicibus.* Θ. *v. 6. &c. quæ ex ipso indice Scorialensi coram discere necesse est: fieri enim non potest, ut tot numeri tam variorum codicum mihi occurrant, chartarum mearum ac scriptorum subsidio destituto.*

AGATHEMERI Orthonæ Hypotyposis Geographiæ. K. I. 3. pag. 335.

AGATHANGELVS contra Nicephorum Gregoram pro defensione Aristotelis. H. v. 19.

AGATHODAEMONIS Chrysopoea cum plurimis

aliis ejusdem farinæ chymicis auctoribus, cum variis titulis de lapide philosophorum, de sole ac luna, id est, auri ac argenti confectione, præparatione metallorum, salis chymici, &c. *Magnis omnes nominibus, sed plerisq; , uti reor, suppositititiis*, Democriti, Heraclii, Constantini, Platonis, Aristotelis, Pselli, &c. *aliisq; hujuscemodi insigniti, idq; in septem aut octo fere codicibus* Θ. II. 3. Α. I. 4. *plerique ex his iidem videntur cum illis, quos sibi ante paucos annos magno ære comparavit serenissimus Bavariæ dux ac elector Maximilianus; quorum bonam partem latine reddidit jussu ejusdem ducis P. Simon Wagnereck è soc.* JESV; *de quibus ad me scribit in hæc verba litteris Monachio datis :* In hac pretiosissima & plane inaudita Chrysopœorum bibliotheca continentur isti auctores: Πλάτων (metuo tamen ne sit subditium nomen) Ἀριστοτέλης (de quo itidem ambigo) Ἑρμῆς (quem genuinum esse non dubito) Ἰωάννης ἱερεὺς, Δημόκριτος; Ζώσιμος (quem Delrius noster valde commendat, & tantum Parisiis in bibliotheca regia M.S. extare testatur) Μιχαὴλ ὁ Ψελλὸς, ὁ μέγας Ὀλυμπιόδωρος, Στέφανος ὁ φιλόσοφος (scriptor revera ingeniosus) Σοφὰρ ὁ ἐν Περσίδι, Συνέσιος (non puto esse illum encomiasten calvitii) Διόσκορος ὁ ἱερεὺς τοῦ μεγάλου Σεράπιδος τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ὁ Ὀστάνης ἀπ' Αἰγύπτου, ἡ Μαρία (est soror Mosis, hypobolimæum utique nomen) καὶ ἡ Κλεοπάτρα ἡ γυνὴ τοῦ Πτολεμαίου βασιλέως, Πορφύριος, Ἐπιβύχιος, Πελάγιος, Ἀγαθοδαίμων, Ἡρακλεῖος ὁ βασιλεὺς, Θεόφραστος, Ἀρχέλαος, Κλαυδιανὸς, Σέργιος, insunt omnibus istis mirissima quædam, ac plane curiosa. Adjecta est copiosissima clavis chymicorum apud Græcos signorum, auctore Psello: adjectum quoq; Λεξικίδιον chymicum solide Græcum anonyma manu. Stylus ut plurimum tersus, neque ullis fere mixtobarbaris vocibus interpolatus: accedit amabilis quædam atque perpetua metaphorarum venustas. *Hæc ille.*

Quæ

Quæ omnia, tametsi liberalius nonnihil hic deprædicari videantur, est tamen cur suspicer, ejusdem fere cum superioribus hæc omnia esse farinæ.

ALYPII Isagoge Musica; item Aristidis, Quintiliani, Ptolomæi adhuc græce ineditorum, & aliorum veterum, in variis codicibus. *Omnes hoc eleganti charactere descriptos cum suis schematibus habet in bibliotheca sua illustrissimus ac reverendissimus dominus D. Carolus de Montchal, archiepiscopus Tolosanus; quos pro suo in litteras ac bonas artes affectu cuivis litterato ad editionem liberalissime offert, uti & reliquos omnes bibliothecæ suæ codices* ἀνεκδότους; *qui multi sunt ac insignes, indicabunturque à me copiosius in catalogo M. SS. græcorum ineditorum, auctorumq; in præcipuis Europæ bibliothecis delitescentium, quos magna ex parte ipsemet oculis meis vidi, ubi otium suppetierit, concinnando edendoq; in lucem.*

Auctores autem musici veteres codice numero XXIIX. apud illustrissimum ac reverendissimum archiepiscopum Tolosanum, sunt:

ARISTIDIS Quintiliani harmonicorum libri tres;
MANUELIS Bryennii totidem:
PLUTARCHUS de musica:
EUCLIDIS introductio harmonica.
Sectio canonis harmonici edita à Ioanne Pena Parisiis cum Opticis Euclidis.

ARISTOCHENI elementa musicæ edita, sed latinè tantùm, Venetiis, interprete Francisco Patricio.

PTOLOMÆI harmonica, edita latinè ibidem ab eodem. In Ptolomæi harmonica commentarius Porphyrii hactenus ineditus, quem penes me habeo descriptum αὐτοχειρί, ex bibliotheca augustissimi imperatoris Viennæ.

ALYPII & BACCHII senioris Isagoge musices impressa à Mersenno in Genesin, & Alypius à Meursio Lugd. Batav.

NICO-

NICOMACHI & GAVDENTII musica adhuc inedita: omnia cum figuris & subinde additis scholiis: codex dicitur scriptus ab Angelo Virginio Cretensi anno 1537.

Ceterum hæc etiam omnia eleganti charactere & schematibus exarata memini me videre Romæ anno 1642. in bibliotheca eminentissimi cardinalis Francisci Barberini, sed satis ægre à Luca Holsteinio, tum bibliothecæ præfecto, communicata, uti & Tacticorum Mauritii imperatoris lib. 12. quod horum editionem una cum ceteris Strategeticis Athenæi, Apollodori, Bitonis &c. propediem emittendam assereret à Claudio Salmasio: sed eorum hactenus nihil prodiit. Sunt præterea in bibliotheca archiepiscopi Tolosani harmonice Georgii Pachymeræ & codice n. XLIV. *cum plurimis aliis etiam Theonis: quæ si quis simul omnia nonnihil hinc inde explicata ederet in lucem, optime sane de republica litteraria ac musica antiqua mereretur. Sed arduo ac obscuro in loco scio versatum iri eum, qui hæc tentaverit; quamquam lucem aliquam afferre possint ea, quæ apud Boëthium in hoc genere sunt, ac Mersennum in harmonia universali, item Josephum Zarlinum, aliosq́.*

JOANNIS GLYCEI, sive Dulcis, Lampadarii, Moschiani, & aliorum chiromonia musicæ artis.

LEONIS sapientis matutina poëmata XI. cum notis. Psalmodia, qua urbs Thessalonicensis & ecclesiæ catholicæ magnæ utuntur, composita à domestico magistro Cucuma: libellus in charta annorum C. forma enchiridii.

JOANNIS GLYCAE Protopsaltæ Rhodi liber musicus, sive opera ad notas musicæ artis accommodata.

CONSTANTINI MOSCHIANI & GERASINI MONACHI poëmata diversa ecclesiastica cum notis musicis: stichologia, & cantica, & psalmodiæ variæ ecclesiasticæ variorum cum tropariis, hirmis, & exapostilariis.

AGATHONIS, Anthemii monachi, & Argyropuli poë-

poëmata ecclesiastica cum notis musicis barbaris ac recentioribus sequioris ævi græcorum, jamque obsoletis & ignotis. *Cujusmodi volumen etiam in bibliotheca nostra Lovaniensi est, charactere recentiore, forma enchiridii cum titulo:* Ἀρχὴ σὺν Θεῷ ἁγίῳ. Τοῦ μεγάλου. Ἑσπερινοῦ Ποιήματα διάφορα ποιητῶν παλαιῶν τε, καὶ νέων. Ψάλλεται ἢ τοῦτο δύχορον, καὶ ἄρχεται ὁ δομέστικος τοῦ δεξιοῦ χοροῦ. *Sub initium est explicatio notarum musicarum ac vocum, postmodum citantur* Chrysostomus in liturgia, Manuel Chrysaphe, Joannes Lampadarius, Panaretus, Palladas, Georgius, Agathon, &c. *in fine mutilus. Ejusdem farinæ videntur, quæ habentur in bibliotheca Scorialensi cum titulis* Manuelis Lampadarii Chrysaphe de psallendi arte, & ipsius & aliorum poëmata ecclesiastica, ad notas musicas accommodata.

ABINI isagoge in Platonem.

AMMONII astrolabium, & de ejus usu. I. IV. I. pag. 113.

ANASTASII ANTIOCHENI sermo de professione virginis in Nazareth ad recensionem Augusti, &c. *Aliæ quædam ipsius homiliæ adhuc ineditæ; è quibus propediem prodibunt eæ, quæ de Deipara sunt, in bibliotheca Mariana, quæ nunc cuditur in Hispania; sed latine tantum.*

ANATHOLII mathematica quædam fragmenta maxime arithmetica, una cum Nicomacho. K. III. 10. Δ. VII. 11. pag. 279.

ANATOLII de dimensione marmorum ac lignorum. *Idem vidi & legi in bibliotheca Bavarica. Cetera illius mathematica nihil fere continent præter isagogicas præfationes, de definitione, divisione ac subjecto illius scientiæ.*

ANASTASII patriarchæ narratio actorum in Perside.

AMMONIVS monachus de patribus in Sina monte interfectis. Z. IV. 6. pag. 110. B.

APOLOGIAE variæ de diversis materiis.

ANDRONICVS peripateticus de passionibus animæ, de discendi cupiditate, de virtute, de divisione. Θ. IV. 3. pag. 37.

ANNAE COMNENAE Alexii filiæ de rebus gestis Alexii patris sui libris tredecim. Z. VII. 15. pag. 61. Θ. III. 13. pag. 108. *Editi sunt à Davide Hœschelio Augustæ, sed cum multis lacunis, quæ fortasse hinc suppleri possent.*

ANTHEMIVS de machinis paradoxis seu incredibilibus. K. I. 13. pag. 163. *Sed merum fragmentum est, ac multis quidem in locis mutilum, vix ut aliquid inde sanum erui possit: videtur autem alicubi agere de ustione per specula, de incidentia radiorum in plana, &c. Idem codice* K. I. 14. *Sed plane à præcedenti diversus in materia: nil enim aliud continet, quam de inscribendo cubo, aliisq; corporibus regularibus in sphæra, quæ non differre videntur ab inscriptione corporum Euclidea. Idem est in Vaticana Romæ, sed non multo majoris videtur momenti.*

ANTIOCHI episcopi Ptolemaïdos oratio in nativitatem domini, una cum aliis homiliis. E. I. 13. pag. 37. De illuminatione cæci nati.

ANTIPATRI BOSTRENSIS episcopi Sermo in nativitatem S. Joannis baptistæ in eodem codice pag. 292.

ATHENAEVS de machinis bellicis, Λ. III. 1. K. IV. 12. *habeo penes me descriptum.*

ANTONII monachi & abbatis asceticarum admonitionum capita 160. Λ. VI. 8. pag. 304. Λ. IV. 13. *forte eadem cum Melissa.*

APOLLODORI strategetica. Λ. III. 12. *habeo penes me.* Idem in K. IV. 12. Z. VII. 16. *In iisdem codicibus* Bitonis, Heronis, ac Africani, seu Julii Africani Cesti: *ita enim opus suum inscribit, à rerum, ut quidam volunt, varietate quas continet, deducta à Dionis Cesto similitudine; nec male: nescio enim*

nim, an tantum boni opus illud contineat, quantum continet ma-
i: præterquam enim quod sequioris ævi adeoq; styli sit auctor ille,
nulta habet similia Tacticis Leonis, quædam etiam superstitiosa
c multa ridicula: ut de curatione per Abracadabra: quædam
mulomedica, falsa plurima.

APOLLONII PERGEI conicarum sectionum libri uatuor cum schematibus & figuris accurate delineatis: *qui abentur etiam in bibliotheca serenissimi ducis Bavariæ, hacte-us græce inediti. Horum, uti & reliquorum trium qui desi-erantur, supplementum è versione Arabica, nuper ex oriente lata, meditatur propediem I. Golius Lugduni Batavorum, suo arte & ingenio adornatos, suppletos ac restitutos: sed latine ntum imprimit jam Antverpiæ R. P. Claudius Richardii, ma-ematum Mantuæ Carpetanorum regius professor & amicus no-r in paucis.*

BASILII PHILIPPENSIS oratio in præsentationem :atæ virginis. B. III. XI. *habeo penes me descriptum.*

BASILII & GREGORII dialogus de natura anima-um.

BARLAAMI monachi logistice. lib. 5.

S. ATHANASIVS de vita S. Syncleticæ *multo copiosius am si edita, cum titulo profligatissimo S. Theclæ: de qua mul-hinc inde fragmenta ac minutias collegit L. Coccus; adeo ut ne magnum de hac historia volumen ausit promittere; uti & de ta S. Demetrii; de qua simili modo, congestis hinc inde nescio bus rapsodiis, tomum grandem edere cogitat. Ceterum S. ncleticæ vitam latine reddidit Cosmas Fonteius, ac P. Lanse-; à quo per R. P. Schottum nactus est suam, quam nuper edi-R. P. Bollandus.*

BESSARIONIS epistolæ quædam & sermones.

CALIXTI & IGNATII dogmatici sermones. Z. II. 14. II. 21.

CO-

COSMAE MONACHI canones in festa & Deiparam, una cum aliorum rhythmis ac melismatis. H. I. 10. H. V. 18.

CRITOBVLI homilia de passione domini. E. VI. 15.

CALLISTHENES de rebus gestis Alexandri magni. Z. VII. 4. Θ. VI. 30. *Sed uterque* ὑποβολιμαῖος; *stylus quippe recentior, ac subinde barbarus; adeo ut neotericus nescio quis græculus potius videatur, quam antiquus ille scriptor.*

CHILONIS capita practica moralia centum quadraginta. Z. V. 2.

COMANVS philosophus de arte chymica una cum ceteris ciniflonibus, ac decoctoribus olei atque operæ.

GEORGII CHRYSOCOCCAE astronomia Persica.

CRISTODVLI MONACHI sermones contra Judæos novem. Δ. III. 5.

S. CYRILLVS ALEXANDRINVS in prophetas majores, Danielem, Ezechielem & Jeremiam: *quæ sola in operibus ejus nuper Parisiis excusis septem tomis desiderantur. Ex iis descripsit commentarium in Jeremiam P. Balthasar Corderius, quem hic habes, daturus cum eo reliquos in lucem, si per PP. Hieronymianos licuisset. Sunt autem hæc in codic.* B. I. 11. *una cum Isaia tomo satis crasso, sed folio minori, littera rotunda aut semiquadrata, adeoq; satis antiqua; ac eam ob rem paulatim in membrana deficiente atramento ita fugiens, ut multis in locis non nisi adhibito vitro convexo legi potuerit; breviq; metuendum sit, fore ut non amplius ullo modo legi possit, ac plane pereat.*

CONSTANTINI MANASSIS de venatione spinulorum. H. III. 7. pag. 294. *Sed charactere adeo minuto, intricato, & præ temporis vetustate ac humore, quo permaduisse videtur, ita fugiente, ut non nisi gravissimo cum labore ac oculorum periculo perlegi possit: ac talis est totus ille codex* H. III. 7. *qui nil nisi ineditum continet. Pleraque autem sunt* orationes encomiasti-

miaſticæ, *aut ſimiles, hominum ſequioris ætatis, ut* Euſtachii, **Nicolai**, Michaëlis Saccularii, &c. *Eodem in codice eſt* Nicephori **regis** *encomium canis.*

PSELLI encomium tonſoris, pag. 518. lin. 6.
Pediculi, pag. 519.
Pulicis, pag. 521.

Ibidem EVSTATHII Theſſalonicenſis archiepiſcopi oratio ad eos qui in templo erant S. Myroblytæ, id eſt Demetrii, in principio indictionis, anno mundi 6702. *aliaque plurima ejusdem & aliorum quinquaginta fere auctorum; ſed ejusdem pæne omnes ætatis ac farinæ, id eſt græciæ deficientis miſeræ reliquiæ quorum nomina utpote barbara mihi non omnia occurrunt, nec vero operæ pretium eſt noſſe aut apponere.*

EVSEBIVS CAESARIENSIS in Iſaiam. E. II. 14. De triduo ſepulturæ domini. r. I. 4. 118. r. II. 4. r. II. 7. Eclogæ quædam in prophetas minores. E. V. I. p. 24. B.

JOANNIS CANTACVSENI imperat. C. P. contra Saracenorum ſectam pro chriſtiana religione apologiæ tres. Ejusdem orationes contra Mahometh.

GEORGII DIACONI METOCHITAE de proceſſione Spiritus ſancti libri V.

DEMETRII CYDONIS (*ſive alterius*) chronographiæ ſacræ compendium, & genealogia Chriſti ſervatoris noſtri ab Adam usque ad ejus aſcenſionem arbore ſucceſſionum expreſſa. *Liber recens in charta forma grandiori folii.*

GEORGII MONACHI SYNGELI chronographiæ epitome à C. Julio Cæſare ad Diocletianum.

THEOPHANIS MONACHI chronographia à Diocletiano ad Michaëlem & Theophylactum ejus filium. *Liber in charta recenti forma folii.*

Incerti hiſtoria brevis ab orbe condito, ad tempora usque Leonis Iſauri.

MARCELLINI vel HIPPOLYTI, ſive potius incerti, epitome temporum ab orbe condito uſque ad annum viceſimum Heraclii imperatoris, cum conſulatibus & indictionibus, & aliis cognitione dignis.

SCOLARII PATRIARCHAE interpretatio litterarum quarundam in ſepulchro Conſtantini Magni repertarum.

NICOLAI PATRIARCHAE C.P. carmina.

Oratio de obedientia Conſtantini Magni ad pont. Rom. *in charta recentibus litteris in quarto.*

MICHAELIS GLYCAE quæſtionum ſacræ ſcripturæ ex diverſis auctoribus collectio.

PSELLI expoſito de fide, & de eadem re Sophronius, Cyrillus, & Anaſtaſius patriarcha Antiochenus.

D. GREGORII NAZIANZENI metaphraſis in eccleſiaſten. *Liber in membranis annorum* DC. *forma quadrati.*

CAESARII, B. Gregorii Nazianzeni fratris germani, reſponſa ad quæſtiones varias locorum ſacræ ſcripturæ à Conſtantio, Theochariſto, Andrea, Gregorio, Domno, & Iſidoro ipſi propoſitas, quo tempore à ſecretis erat, & Conſtantinopoli commoratus fuit annos 20.

MARCI METROPOLITAE Epheſi epiſtola, inſcripta orthodoxis chriſtianis ubique terrarum exiſtentibus, & in eam apologia Gregorii Magni protoſyngeli ex diverſis ſanctorum Patrum ſcriptis.

JOANNIS DOCIANI epiſtolæ.

SOPHRONII archiepiſcopi Hieroſolymitani oratio in S. baptiſmum Servatoris noſtri.

Incerti narratio ſanctæ & magnæ eccleſiæ ſive templi Conſtantinopolitani ſanctæ Sophiæ.

JOANNIS MINIMI varia capita ad logicam pertinentia Coſmæ epiſcopo Maiumæ inſcripta.

PSEL-

PSELLI epiſtolæ 22. *In eodem codice.*

EPISTOLAE GREGORII rhetoris Antiocheni 7. *Theodori Metochitæ* CXLV.

APANTHISMATA virtutum, ſive florilegia aut ſelecta de iisdem, continens XXXVI. capita, collecta ex auctoribus ſacris & profanis græcis & latinis tam philoſophis quam poëtis & aliis.

Incerti variæ epiſtolæ laſcivæ lingua recenti græcorum. *In charta in quarto.*

NICEPHORI monachi & presbyteri Blemmidis.

Pſalterii Davidis interpretatio & canticorum tam veteris quam novi teſtamenti.

Ejusdem introductionis ad logicam capita XL.

ZENODOTI PHILETAERI de differentia vocum animalium.

NICEPHORI BLEMMIDAE epitome philoſophiæ.

Ejusdem compendium geographiæ.

NICEPHORI PONTI HERACLEENSIS interpretatio & opinio eruditæ demonſtrationis de diſciplina aſtronomiæ.

EVSTATHII Theſſalonicenſis archiepiſcopi oratio ad Michaëlem Stathmirem ſaccularium & cartophylacem, quod ſæpe cum melodiis celebrare debeant memoriam martyris S. Demetrii. Z. II. 9. pag. 17.

Oratio in principio Quadrageſimæ. *Ibid.* In fataliter faciles ad ineundam amicitiam, & in conſervanda mutabiles. Ad amicum, qui eum tacite taxarat, &c. *Argumentum futile.*

Oratio de lectura principii hymni illius apud Græcos Μυςήριον ξενὸν. &c. De ſimplicitate, pace, moderatione & uſu divitiarum eccleſiaſticarum, & aliarum quarumcunque, & contra odium irrationabile. De dilectione & ana-

anamnysi recentis tunc confusionis. Epitome eorum quæ ad archipræsulis dignitatem spectant.

DAMASCIVS philosophus. Dubitationes & solutiones de primis principiis. In Parmenidem Platonis.

DEMETRIVS CYDONIVS de Filii deitate, & procreatione Spiritus sancti.

Ejusdem orationes & epistolæ. E. VI. 5. In Demetrium Martyrem. Gratiarum actio ad B. virginem.

DEMETRIVS CIZICVS contra Jacobitas.

DEMETRIVS CYDONIVS de processione Spiritus sancti contra Cabasilam.

DEMETRII CHRYSOLORAE homiliæ. E. III. II. De transfiguratione Christi. De sepultura. De resurrectione. De annuntiatione *absque principio*. In dormitionem Deiparæ. *Sed fere in omnibus eadem cum longa illa oratione in eandem Joannis Geometræ, quam prælo jam pridem paratam cum sua interpretatione habet R.P. Corderius.* In nativitatem domini.

Eucharistirion Deiparæ pro servata Constantinopoli. In magnum martyrem Demetrium.

Encomium pulicis. *Tria hæc ultima alio ac recentiore sunt charactere; quare dubium, an Demetrii an alterius sint, cum in titulis nullibi expressum sit illius nomen, sed tantum* τῦ ἀυτῦ; *quamvis stylus non multum ab illius dictione absit.*

DEMETRII TRICLINII de phasibus lunæ ac maculis. A. II. 7. *Habeo penes me. In eodem codice.*

MANVEL MOSCHOPVLVS de inventione numerorum quadratorum.

MAXIMI PLANVDIS arithmetica Indica.

ISAACI ARGYRI geodetica.

NICOLAI ARTABARDI de numeris quædam.

DEMO-

DEMOCRITI physica & mystica Chrysopæa una um plurimis aliis hujuscemodi substantiæ decoctoribus 3. VI. 8. K. I. 15.

DIONYSII ALEXANDRINI epistolæ & alia plura. A. IV. 16.

EVSEBII ALEXANDRINI orationes. H. III. 5. pag. 113.

GEORGII CYPRI epistolæ 597. Z. VI. 10.

GEORGII NICOMEDIAE archiepiscopi Oratio de præsentatione Deiparæ. H. VI. 22. *Habeo penes me.*

Quæ ad opera S. Joannis Chrysostomi pertinent, alio ac singulari indigent catalogo, quem dabo cum paralipomenis illius latine redditis.

Encomium Chrysostomi à Joanne Damasceno scriptum. E. VII. 13.

LEXICON seu explicatio vocum, quibus Chrysostomus signanter usus est.

Commentarii illius in Jeremiam & Isaiam *vix lectu nedum tanto auctore digni, quos tamen descripsimus. Alia quædam sunt in Psalmos non contemnenda, quæ etiam in editione anglicana desiderantur: sed de his fusius & accuratius agam in paralipomenis Chrysostomi brevi edendis in lucem.*

Photii Patriarchæ epistolæ 59. *Plerasque ex iis etiam apud se habet Laurentius Coccus collectas.*

Ejusdem homiliæ XI. Δ. V. I. In parasceuen. De ascensione, εἰς τὴν ἔφοδον τῶν φωτῶν. De annuntiatione. In parasceuen. In Baja & Lazarum. In nativitatem Deiparæ. De detectione imaginis ejusdem. De templo. De hæresi.

NICOLAI BLEMMIDAE, Pselli opera omnia rhetorica, poëtica, philosophica, medica, chymica, mathematica.

THEODORI STVDITAE *nihil est ineditum quod non habeat P. Sirmondus, qui novam ejus editionem molitur, præter* Catecheses majores 29. ac orationem unam εἰς γενέθλιον τῆς θεοτόκου, *quam à me descriptam ac latine redditam illi mittam.*

Ὑποθέσεις τῶν κατηχήσεων τοῦ πρώτου βιβλίου.

α. Περὶ τῆς πανολέθρου παῤῥησίας καὶ τοῦ εὐχαρίστως ὑποφέρειν τὰς νόσους.
β'. Περὶ τῆς μηρίμνης τοῦ κανονάρχου, κανδηλαρίου, καὶ νοσοκόμου.
γ'. Περὶ τῶν διακονιῶν.
δ' Περὶ τῆς ἀειφώτου ἐξαγγελίας, &c.
ε. Περὶ τοῦ χωρισμοῦ τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος.
ς'. Περὶ τῆς ἀγάπης, καὶ σπουδῆς ἐν ψαλμῳδίαις.
ζ'. Περί τῶν ἐν κοινοβίῳ ζόντων.
ή. Περί τῆς ταπεινώσεως.
θ'. Περὶ τῆς ἀποδώσεως μεγάλων ἀγαθῶν περὶ μικρῶν ἀφιέντων.
ι. Περὶ τοῦ ἐν κοινωβίῳ σκάμματος.
ιά. Περὶ τῶν νοσούντων.
ιβ'. Περὶ τῶν λατροχακούργως φιλιῶν.
ιγ'. Περὶ τοῦ ὑποτάσσεσθαι.
ιδ'. Περὶ τοῦ καιροῦ τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἐπιτεύξασθαι.
ιε. Περὶ τοῦ μὴ μεγαλύνειν ἄλλον βίον ἀπὸ τῶν κοινοβιακῶν.
ις'. Περί τῆς πανολέθρου παῤῥησίας.
ιζ'. Περὶ τῶν πανουργιῶν τῶν δαιμόνων.
ιή. Περὶ τῶν ζωοποιῶν, παθημάτων χριστοῦ.
ιθ'. Περὶ τοῦ ὀλίγῳ οἴνῳ χρῆσθαι, καὶ τοῦ δέχεσθαι τοὺς παῖδας, καὶ τοὺς κυλλοὺς, καὶ ἀναπαύειν.
κ'. Περὶ μὴ λαμβάνειν βρώματα ἄνευ εὐλογίας.
κά. Περὶ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τῆς μονῆς, ὡς τοῦ κυρίου.
κβ'. Περὶ τῶν πταιόντων τὸ πῶς δεῖ ἀνίστασθαι.

κγ'.

γ'. Περὶ ἐχθρὰς ὑποφέρειν ἐναντία.

δ'. Περὶ τῦ λυπεῖσθαι, &c.

έ. Περὶ τῶν θλίψεων.

ις'. Περὶ τῦ ἀγαπᾷν ἔχατον εἶναι. &c.

κζ'. Περὶ τῦ ὑποφέρειν γενναίως.

κή. Περὶ τ̃ εἰρήνης.

κθ'. Περὶ τῦ βίυ ὀρθῦ.

LEONTII PRESBYTERI orationes in Job. Lucam, pentecoſten, &c.

GENNADII SCHOLARII orationes; & de primo Dei cultu.

PROCOPIVS in geneſin.

MAXIMI PLANVDIS epiſtolæ & orationes.

PHILOTHEI PATRIARCHAE ſermones in evangelia.

PANTALEONTIS de eodem argumento, ſed videntur iidem.

THEON SMIRNAEVS in loca mathematica Platonis.

NICETAE STVDITAE orationes.

APSINIS RHETORICA. Joſephi Racenditæ opera rhetorica, poëtica, philoſophica, mathematica. *Sunt & ejus rhetorica in bibliotheca collegii noſtri Agennenſis in Gallia.*

HIPPOCRATIS quadraturæ circuli refutatio.

JOANNIS XIPHILINI ſermones in evangelia. Z. II. 3.

HERMIAE medici mathematica & in Phædrum Platonis. K. III. 16. Δ. VII. Θ. III. 7.

HESYCHII presbyteri orationes.

HIPPARCHVS philoſophus. Α. II. 8.

JOANNIS MONACHI EVBEAE oratio in innocentes. Η. III. 8.

NICE-

NICEPHORI GREGORAE libri 29. *ex quibus* 11. *tantum excusi.*

THEODORI METOCHITAE varia & plurima.

MICHAELIS CHONIATAE orationes. H. III. 7.

MACIANI oratio in præsentationem Deiparæ. H. III. 8.

THEODORI LASCARIS varia. Θ. V. 2.

THEODORVS DVCAS. *Ibidem.*

BARNABAS MONACHVS de incarnatione.

THEOPHYLACTI SYMOCATTAE Dialogus de variis dubiis physicis.

Atque hic brevis est syllabus auctorum inibi repertorum, quem & pleniorem & accuratiorem dedissem, ni labores meos sibi detinuisset is, cui amice concesseram.

XVI.

DE BIBLIOTHECIS,

VMPRIMIS REGIA BVDENSI, AD EPISCOPVM AVGVSTENSEM

CHRISTOPHORVM A STADION JOHANNIS ALEXANDRI BRASSICANI JCTI, EPISTOLA.

QVod Marcus ille Antoninus imperator, cognomento pius & philosophus de se ipso scribit: Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν, ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος: c ego de me, quamlibet infimo homine, citra omnem idiam dicere possum, quippe qui a puero nihil vel hotius æstimarim, vel antiquius duxerim, quam optimos osque libros, & præcipue veteres scriptores nondum in em editos, quanta diligentia possem, conquirere, ac à ı tenebrisque vindicare. Nam cum hoc munere sum quondam & potentissimi quique reges & mirifice detati, & egregie perfuncti fuerint, (ut de Polycrate Sa-ɔ, Pisistrato Atheniense, Nicocrate Cyprio, Pergami npluribus regibus, ac Ptolomæo Philadelpho, Strabo Athenæus scripsere cuinam officio me rectius addicere, eglecta etiam interea re familiari) potuissem, quam, eam curam incumbere, quam jam olim principes no- (atque utinam non alia etiam æque bonis regibus ornento futura) desertam reliquerunt: atque ita supe-e ætate complures magni ac eruditi viri, e quorum nero primas habent *Rodolphus Agricola Phrysius*, *Janus*

Præfixa Salviano ab ipso edito. Basil. 1530. ut & editioni Salv. Norimb. anno 1663.

Regum officium

Pannonius episcopus Quinque Ecclesiarum, *Johannes Tritbemius* abbas, *Conradus Celtis* poëta, *Joannes Cuspinianus* cæsaris a consiliis, tametsi reges non essent, (id quod neminem istorum optasse scio) quod tamen ab illo secundum atque proximum est, prorsus regio officio rempubl. litterariam in antiquis scriptorum monumentis investigandis ac servandis plurimum adjuvarunt. Sic *Joannes Capnion* Phorcensis noster (ut hoc obiter adjiciam) cum aliquando *Eberardi Barbati* principis Wirtenbergensis nomine (ejus, qui postea, ab inculpata vitæ integritate, morumque pulcherrimis ornamentis, *probi* cognomentum obtinuit) ad invictissimum cæsarem *Fridericum* III. cum aliis quibusdam amplissimis viris legatus venisset, & ut fieri consuevit, aliis mire splendida lautia, ut vocant, nimirum aut equi pulcherrime instrati, aut aureæ phialæ, & reliqua id genus dono darentur, hic Capnion antiquissima quædam & bene descripta hebraica biblia, quam vel immensum auri pondus a cæsare accipere maluit. Quamquam autem ejusmodi antiquissimorum scriptorum gemmæ raro aut nunquam venales habeantur, quibus ego aut quisquis ille tandem est, qui vere regium hoc munus accipiens, bibliothecam suam ornare, simul & universum orbem sibi devincire cupiat: accessit tamen aliunde & nihil mihi tale speranti præsidium incomparabile, quod hoc quicquid est incommodi, cum ipso, quod ajunt, horreo sarciret. Nimirum amplissima præstantissimorum hominum autoritas atque dignitas, qui me, si quando sese dabat opportuna occasio (oblata est autem tam in legationibus, quam in aliis honorificis profectionibus non semel) in consequendis iis unionibus valde quam benigniter adjuverunt. Sic gratia, sic favore consecuti sumus, quod nulla pecunia, quæ alias nihil non expugnat,

pugnat, perfici poterat. Qui enim alias impendiorum ratio mihi constitisset, si tantum nummorum mihi fuisset expendendum, quantum veteres etiam illi reges ac philosophi in hoc mercatus genere persolvisse dicuntur; quando *Tarquinius Priscus* sibyllinos libros non minore indicatura quam trecentis philippeis, *Plato* Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium, *Aristoteles* Speusippi Platonici philosophi, utcunque paucos, talentis tamen Atticis tribus emerit. Atque illos ego philosophiæ nomini pulchre satis fecisse arbitror, cum asserendis immortalitate dignis monumentis, immensam etiam pecuniæ vim liberaliter & plena manu, quod ajunt, expenderent. Nunc cum nulli sint ex omni doctorum classe theologis ditiores, ii profecto debebant hanc solidam laudem arripere, & congestis opibus non vultures irritare, non invidiam in caput suum accersere, sed passim honorificas bibliothecas instruere, in quibus & honeste vivendi instrumenta, boni quique scriptores, asservarentur, & quibus cum paupertate subinde colluctandum est, quorum grex est innumerabilis, bonorum librorum præsidio possent ad honestissimos quosque gradus eluctari. Et, quoniam bibliothecas nullas instituimus, aut saltem tales instituimus, ut præstiterit illas esse solo æquatas: videmus, quam jaceant, quam extincta sint bona studia fere omnia. Videmus quam ingenia etiam felicia â litteris abhorreant: & quod invitus vere tamen dico, quam in Germaniæ quibusdam amplissimis etiam urbibus hoc sit esse Germanum literas scilicet odisse; hoc sit esse prudentissimum senatorem, studia semel omnia damnare: hoc sit esse compositæ vitæ civem, sutores atque textores πνευματοδιδάκτες suspicere; literatos autem contemnere: hæc denique sit optime constituta respub. in qua minimum sit literarum,

Libri à quibus magno emti.

atque litteratorum. Quanto rectius illi veteres, qui ut studia redderent ornatiora, ut libros facerent commendabiliores, ut doctorum hominum cultum & venerationem augerent, ut ostenderent tandem, literas nihil aliud esse, quam rem sacram, bibliothecis passim non alibi quam in deorum immortalium templis locum dabant. Nam *Asinius Pollio* primus Romæ bibliothecam in Herculis fano dedicavit. Hanc laudem patrum nostrorum memoria, si non superaverit, æquavit tamen, inclytus ille ac nunquam satis laudatus Pannoniæ rex *Matthias*, qui bibliothecam suam, quam ex omni scriptorum genere confertissimam instruxerat, in amœnissimo etiam templo consecravit. Hæc mihi bibliotheca manum hic injicit, oratque supplex, ut tibi, quæ jam nihil nisi vanum nomen obtinuit, pristinam illam dignitatem atque celebritatem suam, qua nulli concedebat, exponam. Quam ob rem, optime princeps, id quod magnopere ad te pertinet, libenter hæc ad te scripta leges, atque hanc meam exprompta in te colendo ac observando voluntatem; æqui bonique facies.

Bibliothecæ in templis consecratæ.

Matthiæ Corvini Pannoniæ regis bibliotheca.

Superioribus annis cum *Wilhelmus* ex *Eberstein*, cæsareus legatus, me sibi comitem adjunxisset, ut una secum ad innocentissimum illum Pannoniæ ac Boëmiæ regem LVDOVICVM, proxima impressione Turcica miserrima sublatum, accederem, hoc ego patrocinio ac benignitate magnorum hominum illi de meliori nota commendatus, libenter & ex animo feci, ac nulla certe majore, quam cognoscendæ adhuc minime vastatæ Pannoniæ, ac ornandæ reipubl. litterariæ causa feci. Recta Vienna *Budam*, (quæ regni caput, atque adeo Pannoniæ regum definita ac summa sedes est) descendimus, regnum adhuc sartum tectum vidimus: legatus ibi negotiorum suorum rationem sum-

Ludovicus rex Pannoniæ.

Buda.

summa cura habuit: mihi vero, ne succisivis horis plane nihil agerem, inspiciendæ isthic bibliothecæ beneficio serenissimæ ac inculpatissimæ reginæ *Mariæ* potestas facta est. Quid multis? Inspexi libros omnes. Sed quid libros dico? quot libros, tot etiam thesauros isthic inspexi. Dii immortales, quam jucundum hoc spectaculum fuisse quis credat? Tunc certe non in bibliotheca, sed in Jovis gremio, quod ajunt, mihi esse videbar. Tantum erat hic antiquorum, græcorum simul & hebraicorum voluminum, quæ Matthias ille rex capta jam Constantinopoli, eversisque multis aliis ampliss. Græciæ urbibus, ex media Græcia inæstimandis sumtibus coëmerat, ac tanquam mancipia ex barbarorum catastis atque compedibus receperat. Tantum erat hic latinorum librorum, & veterum & recentiorum (procul tamen ablegatis omnibus sophisticis) ut nusquam alibi, quod ego quidem sciam. Siquidem Matthias rex (quem recte librorum helluonem appellaveris) quatuor insignes librarios Florentiæ magnis impendiis alebat, quorum is unus & unicus labor erat, ut omnes melioris notæ auctores & græcos & latinos, quos commodum ex Græcia habere non poterat, exscriberent. Nam ipsa typographice (ut exigua sunt omnium rerum principia) nondum tam late radices egerat, ut ardentissimis illis, & vere regiis votis regis omnium excellentissimi satisfacere posset. Vidimus isthic (id quod syllabo nostro recensere possum, & oculata fide) vidimus integrum *Hyperiden cum locupletissimis scholiis*, librum multis etiam censibus redimendum. Vidimus grandem librum *apostolicorum canonum*, opus incomparabile; vidimus *Theodoretum Cyrensem in Psalterium* integrum. Vidimus *Chrysostomi*, *Athanasii*, *Cyrilli*, *Nazianzeni*, *Basilii Magni*, *Gregorii Nysseni*, *Theophanis*, *Dorothei* infinita opera.

Maria Ludovici uxor. regina Pannoniæ.

Libri qui in bibliotheca Budensi ante Turcorum irruptionem extabant.

Vidimus *Marcum* monachum, cognomento *Anachoritam.* omitto poëtas, oratores, philosophos atque historicos, quorum hic immensam vim inspicere licuisset. Vidimus auctores græcos innumerabiles, infinitaque in poëtas fere omnes commentaria, nemini doctorum, aut paucis omnino antea visa. Sed quod Cicero de conjuratis dixit, *vixerunt*, quos jam sublatos esse significare voluit: ita recte diximus, nos vidisse, quippe qui verear ne possim ullo unquam tempore videre aut consequi. O Turcorum immanitatem, o barbarorum efferatam insaniam, O bonorum studiorum μισολεθρίαν! Audeo cum universa Pannonia (quæ cum adhuc esset inoffensa, poterat omnibus omnium bonarum rerum dotibus nullum non quantumvis celebre regnum in contentionem provocare) miseris etiam modis hæc vere aurea bibliotheca periit, interiit, ita ut quoties illius mihi in mentem venit (venit autem sæpissime) toties etiam Virgilianum hoc occurrat. *Quis talia fando, temperet a lachrymis?* Mallem ego, sic me dii ament, hic omnium oblivisci, quam meminisse. Interea tamen animum meum utcunque consolari soleo, quod ex munificentia atque liberalitate optimi regis LVDOVICI quosdam græcos autores consecutus sum, nec protritos, nec etiam aspernandos. Id quod, ubi in lucem fuerint editi (quemadmodum diis bene volentibus edentur brevi) res ipsa indicabit.

Pannoniæ quondam præstantia.

Brassicanus libros aliquot à Lud. R. opt. consecutus.

Absit omnis circulatoria jactatio, absint magnifica promissa: nos in utriusque literaturæ disciplinis tam nostros, quam externos scriptores tales studiosorum gremiis imponemus, ut omnes quidem admirari, nemo vero pro dignitate satis laudare, ornareque possit. Inpræsentiarum autem, ut ex latinis gustum aliquem eruditis præbeam, *Salvianum* episcopum Massiliensem eruditissimum sub

Quos libros in lucem daturus Brassicanus.

ſub tuo, hoc eſt doctiſſimi epiſcopi, ac principis benigniſſimi nomine prodire volui: Salvianum inquam, & reſtitutum, & e denſiſſimis tenebris erutum, in quo unico licebit intelligere, quantum in aliis ejus integritatis ac eruditionis proceribus amiſerimus. Quanquam autem ex *catalogis virorum illuſtrium*, ſcriptis ab *Hieronymo, Gennadio, Iſidoro,* ac *Ildefonſo* (qui ſcripti etiamnum, nec dum pervulgati apud nos habentur) ad hæc ex innumera illa veterum ſcriptorum nomenclatura, qua *Plutarchus, Athenæus, Pauſanias, Suidas, Laërtius, Pollux, Stephanus, Stobæus,* atque alii ſubinde utuntur, ſatis appareat, quantum optimorum utriusque linguæ auctorum interierit, & A. Gellius ſcribat, Alexandriæ millia voluminum ſeptingenta per milites combuſta eſſe: Joannes item Zonaras cognomento monachus, Græcus ille quidem, at ſinceræ fidei hiſtoricus, referat, Byzantii ſub Zenone centum & viginti librorum millia graviſſimo incendio periiſſe: ego tamen jurejurando affirmare auſim, nos hac etiam infeliciſſima ætate longe plus diſpendii accepiſſe, quam vel cogitatione conſequi, aut oratione poſſit aliquis exprimere: quippe qui Budenſem bibliothecam, quando in rem præſentem ventum eſt, non ſemel excuſſerim, & exactiſſima diligentia inſpexerim, & jam infeliciſſime, nec ſine magno chriſtianorum omnium malo, perditam atque deletam eſſe compertiſſimum habeam. Augent dolorem oculi (quod vere dixit Cicero) qui ea quæ audiunt, aliquando viderunt: nec avertere ab illa incredibili pernicie, ſive, ut verius dicam, internecione cogitationem ſinunt. Sed dolori ſatis datum ſit, quandoquidem reparari nullo pacto poteſt id, quod ita miſere periit, & quod ab ipſis etiam hoſtibus, miſerationem extorquere debuiſſet.

Salvianus epiſc. Maſſilienſis.

Catalogi virorum illuſtrium.

Agell. lib. 6. c. 17. Am. Marcell. lib. 22.

Nunc Salvianum tuum accipe, princeps optime, tuum

Hic omitto quædam in Salviani

[*Laudem scripta.*]

tuum inquam, tibi quoque felicissimo nomini inscriptum; quem si tibi, ut jure optimo meretur; placuisse intellexero, curabo quanta fide potero, ut & alia, quæ adhuc in bibliotheca nostra sunt innumera, & præcipue græca,

[Græci libri nondum invulgati in biblioth. Brassicani.]

nempe *Chrysostomi* diversa in sanctos encomia, *Origenis* librorum epitome per *Gregorium theologum* & *Basilium Magnum* digesta, *Severiani* Gabalorum episcopi in genesin conciones XIV. *Gregorii Nysseni* in genesin enarrationes, *Basilii Magni hexaëmeron* integrum, & longe copiosius, quam ab *Argyropylo*, vel ab *Eustachio* ad Syncleticam Germanam in linguam latinam conversum sit, *Nazianzeni* ac *Basilii* multa nunquam adhuc visa vel edita? *Philonis* libri tres περὶ τοῦ βίου μωσέως, & ejusdem alter, qui inscribitur, βίος πολιτικοῦ ὅπερ ἐστὶ περὶ Ἰωσήφ: ad hæc liber ejusdem, cui titulus est, περὶ ἀρετῶν ἤτοι ἀνδρείας καὶ εὐσεβείας, καὶ φιλανθρωπίας καὶ μετανοίας. &c. sub tui nominis auspicio ad communem omnium utilitatem in lucem veniant. Felicem te profecto, tua si bona noris: hoc est si videas tuo favore ac beneficio tantum commodorum ad studiosos atque doctos omnes promanasse: feliciorem autem multo, si & alia græca, quæ ad meliorem artium cognitionem attinent, tibi nominatim inscripta, nuncupataque invulgavero: hoc est, *Procli*, *Joan. Philoponi*, cognomento *grammatici*, ac *Manuelis Moschopuli commentarios in Hesiodum*, ad hæc in *Oppiani Halieutica commentarios* utilissimos, *Jamblichum Chalcidensem* philosophum de rebus Pythagoricis, ejusdem protrepticas orationes. *Diodorum Siculum* in historiis, non illis quidem, quas *Poggius* latinas fecit, *arithmeticam & geometricam Nicomachi*; *Heronis Alexandrini* librum περὶ βελοποιίας, & græci auctoris innominati libros vere aureos XX. de re rustica: ac alia præterea multa, quæ nunc commemorare nolo, ne videar librariæ meæ supellectilis,

lectilis, forte non ita contemnendæ, catalogum contexere, nam & de Latinis plane nihil hic dicimus, quorum adhuc apud nos est, ut ille ait, beata pleno copia cornu. At me tandem longe felicissimum, optime princeps, si consecutus fuero id, quod institui: quod certe fiet, si Salvianum jam tuum, & me qui jam olim in ære tuo sum, cum Hendecasyllabis nostris, non ita felicibus, etiam commendatos habueris: quemadmodum etiam doctissimum, atque optimum patrem meum D. Joannem Brassicanum, jam inde ab ineunte ætate, tanquam iisdem studiorum sacris tecum initiatum, & amasti sinceriter, & perpetua benignitate sublevasti. Qua re & dignitatem splendoremque tuum ornabis, & studiis fere jacentib. signum quoddam tanquam pharum aliquam turrim eriges, & me in hoc vere ferreo seculo tua authoritate defendes, testimonio provehes, benignitate ad edenda etiam alia majora excitabis. Vale Principum excellentissime, episcoporum doctissime, ac inter utrosque optime. Viennæ Austriæ, Martii die 1, anno 1530.

LECTORI BENEVOLO. S. P. D.

Hæc vero ſunt, quæ de pleriſque bibliothecis, tam vetuſtis quam recentibus, à viris excellentiſſimis prodita, evulgare ſic junctim volui: licet animus primum erat tantum *Juſti Lipſii*, cum quæ proxime ſequuntur breviuſculis quinque commentationibus, rogatu typographi in lucem edere, quod exemplaria *ſyntagmatis* illius, non ſemel in hac eadem ejus officina excuſi, de novo eſſent diſtracta. Iis vero, bibliotheculam meam excutiens, reliquos etiam commentariolos, utpote non minus, varietate ſua legentium animos oblectaturos; uti & VATICANAE, SCORIALENSIS atque BVDENSIS, bibliothecarum deſcriptiones uberiores, quod de hujus (modo quid reliquiarum reſtet!) ex Turcica ſervitute manumiſſione, jam ab aliquot menſibus fama percrebuit, deinceps annexui: Quædam inſuper de AVGVSTA. Sereniſſimi principis ac domini, DN. AVGVSTI, patriæ patris clementiſſimi, quæ GVELPHERBYTI eſt, additurus, niſi jamdudum ipſius SERENITAS hac in parte magnificos,

Edit. Guelpherbyti, 1651.

atque

atque omni illustri laude celebratos Viros, JOANNEM SWARTZKOPFIUM ac HERMANNUM CONRINGIUM, dignissimos nacta esset præcones. Verenamque illa *tantum alias inter caput extulit* orbis bibliothecas, & rursum ibidem cum Append. 1659. Edit. Helmstadi 1661.

Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

ut de Roma quondam, illa *terrarum gentiumque dea*, pulchre cecinit Maro: quod vel ex pauculis istis colligere datur, quæ vir itidem celeberrimus JOHAN HENRICUS HOTTINGERUS, in *bibliothecario* suo de eadem nuper, ex Conringiana illa ὑποτυπώσει, summatim voluit repræsentare. Is vero: *Mirum est*, inquit, *unius ætatis bibliothecam ea accepisse incrementa, ut nata simul & ad summam perfectionem pervenisse videatur. Vix decem lustrorum labor est, qui alios aliquot, dispari successu, occupavit seculis. Ex veteribus alia triginta, alia sexaginta duo, alia centum viginti*, Attalica *ducenta, omnium locupletissima* Alexandrina *vel quadringenta, vel sexcenta librorum millia numeravit.* AVGUSTA *vero volumina habet quasi viceslies octies mille. Ex quibus codices MSti sunt bis mille circiter, Græci, Latini, Hebraici, Arabici, aliarumque linguarum, & quidem optimæ notæ omnes, complures hactenus typis non excusi.* Alexandrinam *superat librorum* Edit. Tiguri 1664.

multitudine, Scoriacensem domicilii amplitudine, scriptorum copia, commoditate utendi, manuscriptorum tantum numero inferior. Mazatinianæ *quidem quondam cessit, sed vix jam amplius.* Oxoniensis *locupletissima manuscriptis eam tantum vincit, ut & Vaticana (quæ manuscriptorum copia hodie princeps audit) librorum tamen numero vincitur. Septem admiranda in illa observat Conringius.* I. *Quod authorem habeat principem, qui eam & collegerit & longe optimo ordine disposuerit, atq; eadem ad publica μελετήματα ipse fuerit usus.* II. *Quod unus ille princeps, nemine antehac praeunte, & inceperit eam pariter, & ad tantam magnitudinem perduxerit.* III. *Ipsa comparandi ratio. Suis omnia sumtibus comparavit princeps ex Germania, Gallia, Hispania, Britannia, Belgio; facta accessione ex tribus locupletissimis bibliothecis Marquardi Freheri*, Curionum, *patris & filii*, & Joachimi Clutenii, *quæ demum augendarum & ad numerum perducendarum bibliothecarum, ratio est.* IV. *Ingens numerus.* V. *Librorum selectus* VI. *Accurata eorundem dispositio.* VII. *Structura domicilii; de quibus prolixe auctor citatus.* Quem quidem & ego te, BENEVOLE LECTOR, adire cupio; obnixe rogans, ut, si ex hisce opusculis, forte minus ad te redundarit voluptatis utilitatisve, quam spe concepi, saltem voluntatem in me de publico bene merendi agnoscas; eamque si laudare detrectes, benignius tamen interpetere, quam ab ejusmodi fieri amat, quibus, juxta illud Apollodori, *reprehendere pulchra, quam imitari, facilius est.*

HER-

HERMANNI CONRINGII

DE

BIBLIOTHECA AVGVSTA

Quæ eſt in arce Wolfenbüttelenſi

AD

ILLVSTR. ET GENEROSVM

JOANNEM CHRISTIANVM L. BAR.

A BOINEBVRG

EPISTOLA

Qua ſimul de omni re bibliothecaria diſſeritur.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO

OANNI CHRISTIANO L. BAR. A BOINEBVRG EQVITI AVRATO

EMINENTISSIMI PRINCIP. ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO SECRETIORI ET SVMMO AVLAE MARESCHALLO &c.

S. P. D.

HERMAN. CONRINGIVS.

ILLVSTRIS ET GENEROSE BOINEBVRGI

LAudo equidem studium tuum, quod hactenus strenue profecto impendisti in id, ut à serenissimo principe ac domino D. AVGVSTO duce Brunsvicensium & Lyneburgensium domino meo clementissimo, editionem impetrares catalogi librorum, quos bibliotheca AVGVSTA comprehendit.

hendit. Enimvero hac etiam in re ostendisti, quo amore cultuque bonam doctrinam omnem (quamvis tutemet ejus jam satur videri possis, animo dudum per universum illius ambitum diffuso, & curæ civiles perpetuæ hanc sollicitudinē ægre patiantur, non in tuum duntaxat privatum, sed reipublicæ literariæ usum, prosequaris. Quam eximiam & plane insusitatam, in tui utique ordinis hominibus, virtutē, præsertim cum illa & alias abunde mihi sit nota plurimis experimentis, & à quam multis per Germaniam, Galliam & Italiam doctissimis viris mirifice prædicetur, impius equidem sim vel imprudens, si non hoc etiam in negotio agnoscam ego & commendem.

I. Nec vero non & per quam salutare est consilium illud, quod de edendo isto catalogo suggessisti. Primo enim faciunt indices id genus, vel sola titulorum recensione, haut leviter ad comparandam librorum notitiam, sive περὶ τῶν ἐμπείρων βιβλιακῶν, quo titulo singulare olim opus, Suida teste, scripserat Telephus Grammaticus Pergamenus: hæc autem non infimus ad eruditionem gradus est. Vtq; non ita juverint catalogi, (fateor enim ad plenam librorum experientiam non sufficere, librorum titulos novisse,) nescio tamen qua arcana voluptate vel soli tituli librorum mulceant ingenuos quoq; φιλομαθεῖς animos. Quod percipere est saltim ex lectione indicum (ut recentiores nostros complures taceā) quos Diogenes Laërtius de philosophicis, & post Eusebium S. Hieronymus de ecclesiasticis, quam multos, quemq; item singularem de scriptis unius Augustini Posidius, de Plutarchi Lamprias, de propriis Galenus, ad posteritatem transmiserunt; cum tamen pleraque in iis commemorata dudum perierint. Quanto magis autem licuerit, & fructum istum, & voluptatem illam ex AVGVSTÆ bibliothecæ indice accipere? cum utiq; possit is exhibere (quantum memini) quinquaginta septē mille circiter varios auctores, librorum vero quasi centū & sedecim millia,

eos-

eosque in omni omnino doctrinæ genere: & quorum nihil hactenus periit, qualia veteres isti indices memorant; sed omne superest ad usum, eumque promptum.

II. Et vero hoc etiam nomine profuerit utique indicis editio, quod ita compluribus, imo reipublicæ omni literariæ, possit demum innotescere, quos libros liceat ex thesauro illo exspectare, & promere in commodum eruditionis, Qui literariæ rei usus, est reapse unicus, saltim potissimus, inter prudentes, tantæ librorum collectionis scopus atq; finis. Nec vero fas fuerit cogere immanem librorũ vim, ut sit instar thesauri inutilis. Quemadmodum scilicet in Jugurtha refert Sallustius, Bocchum Numidiæ regem opes ingentes in monte saxeo remoto, & Dio in Trajani historia narrat, Decebolum Dacorum regem divitias suas sub Sargetia flumine recondidisse. Recte sapiens Hebræus in ecclesi. 20. *Sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisq;?* Ne ferendum quidem, condi bibliothecas tantum in ostentationem. Perstrinxit eleganter jam olim sui ævi in hoc luxuriẽ Seneca l. de tranquillit. animi c. 9. *Quadringenta,* inquit, *millia librorum Alexandriæ arserunt., pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudaverit; sicut Livius, qui elegantiæ regum curæq; egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria. Imo ne studiosa quidem: quoniam non in studium sed in spectaculum comparaverant: sicut plerisq;, ignaris etiam servilium literarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt.* Et paulo post: *Apud desidiosissimos ergo videbis quicquid orationum historiarumq; est, & tecto tenus exstructa loculamenta. Jam enim inter balnearia & thermas bibliotheca quoque, ut necessarium domus ornamentum, expolitur, Ignoscerem plane, si è studiorum nimia cupidine oriretur; nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem & cultum parietum comparantur.* Hæc Seneca, Jam vero

in studiorum usum bibliotheca transire non potest sine indice. Tum demum autem etiam index prodest maxime, si publicatus fuerit. Privatim detentus solos qui propius accesserunt adjuvat & instruit.

Ad utrumque hunc usum itaq; cum respicerent nonnulli nostræ ætatis, indices locupletium suarum bibliothecarum in publicum ediderunt. Quos inter, nisi fallor, agmen duxere primi Batavi: non fraudandi proinde hâc gloria. Nisi malis Bajoariis laudem hanc tribuere: apud quos præcedentis seculi Christiani anno nonagesimo nono Christ. Ferg Ingolstadii publicavit catalogum perpetuum, ut appellat, & alphabeticum, omnium librorum bibliothecæ Ingolstadiensis, secundũ quatuor facultates in viginti quinq; classes tributum. Idem voluerunt alii editis indicibus, non omnium vero sed solorum operum manuscriptorũ, quibus abundabant. Cujus instituti initium forte Augustæ Vindelicorum urbi debetur: quæ græcorum codicum manuscriptorum catalogum publicavit jam superiore seculo, primum anno septuagesimo quinto, iterum sed quadruplo auctiorem anno quinto post nonagesimum, tertia vice hujus seculi anno quinto, si non sæpius: idq; hac liberalissima præmissa quasi inventatione: *Quisquis reipublicæ literariæ faves, sive lector sive typographe, horum omnium codicũ, sive interpretandi, sive conferendi, sive edendi, ita tibi futura copia est, si de iis incolumibus restituendis caveris.* Ad hujus exemplum anno fluentis seculi secundo Ingolstadii vulgatus est catalogus græcorum manuscriptorum codicum, qui asservantur in inclyta serenissimi utriusque Bavariæ ducis bibliotheca: minus liberali tamen facta utendi hac copia: *Quisquis catholica fide præditus prodesse voles reipublicæ literariæ, hos mſ. codices conferendi, interpretandi, edendi copia tibi esto, si de iis sine noxa restituendis caveris.* Biennio ante Londini in Anglia, eadẽ haud dubie fini, jam ediderat Thomas Jamesius eclogam quam appellavit

OxonioCantabrigiensem, continentem manuscriptorum codicum florentissimarum Angliæ bibliothecarũ Oxoniensis & Cantabrigiensi accuratos indices; quales quidẽ tum fuerunt, post enim largis accessionibus, cumprimis illa græcorum codicum à Francisci Barocii Veneti hæredibus per Arundellium Pembrochiæ comitem redemtorum, & altera mille trecentotorum ex omni oriente conquisitorum liberalitate Guilielmi Laude infelicis illius Canthuariensis archiepiscopi, plurimum locupletatæ sunt. Cui libro hæc verba inscripsit aliquando, librariæ rei peritissimus Caspar Barthius: *In hac collectione nominantur duo mille & octingenti omnis ævi scriptores, parte maxime nondum editi, nec alibi quam in Anglia exstantes.* Transiit eadem cura & in Italiam, sed occupantibus illud studium non ipsis bibliothecarum possessoribus. Quomodo bibliothecarum Patavinarum publicarum privatarumq; mss. codices indicavit erudito orbi Jacobus Philippus Tomasinus anno seculi hujus tricesimo nono: & ipsiusmet Mediceæ bibliothecæ, quæ Florentiæ asservatur in cœnobio S. Laurentii, manuscriptorum codicum catalogum luci dedit biennio post Henricus Ernestius V. Cl. & non Daniæ tantum in quam concessit, sed oppidi hujus, cui debet natales, eximium decus: ut taceã alios. Aggressus est eandem operam, sed circa græcos potissimum msstos, in Gallia Philippus Labbe Bituricensis Jesuitici sodalitii vir diligentissimus, Parisiis ante hos annos octo edito libro cui titulum indidit: *Nova bibliotheca mss. librorum, sive specimen antiquarum lectionum, in quatuor partes tributarum, cum coronide poëtica & decem supplementis.* Cui addita *coronis libraria, h.e. bibliotheca bibliothecarum aut catalogus catalogorum*, longe meliora, pleniora & perfectiora ejus generis, facit nos merito exspectare. Jamdudum ante ipsum ejusdem sodalitii clarissimus Anton. Possevinus, theologici generis manuscriptorum græcorum indices varios, Italicos, Gallicos, Hispani-

cos & Germanicos, suo apparatui sacro subjunxerat. Spectavit procul dubio idem Petrus Gassendus cum ederet Parisiis ante hos triginta annos catalogum rariorum librorum, quos ex oriente advexit & in publica bibliotheca inclytæ Leidensis academiæ deposuit, clarissimus & de bonis artibus meritissimus Jacobus Golius. Hi inquam & alii catalogis editis studiorum usum multum sane adjuverunt: eoque operam præstiterunt utique laude dignam maximam.

Nec tamen illi manuscriptorum indices plenum bibliothecarum fructum decerpere faciunt: utpote cum hodie potissima librorum vis in arte typographica excusis collocata sit, & manuscripti qui superant fere sola vetera nobis exhibeant, quæ & ipsa jam tum magnam partem excusa sunt, & e manuscriptis nihil præter emendationem aliquam possunt accipere. Majoris certe, ad studia quidem promovenda, utilitatis sunt indices bibliothecarum integri. Cujusmodi in Batavis præcipue est Leidensis & Vltrajectinus, in Anglia ille bibliothecæ Oxoniensis Boddlejanæ à Jamesio publicatus: qualesq; Gallicos complures promisit Ludovicus Jacob Cabilonensis Carmelita, hactenus tamen in lucem non protulit: quantū equidem novi. Nescio annon talis etiam fuerit bibliothecæ regiæ Parisiensis index ille, cujus mentionem facit in suo ad Philippum regem, de recte instituenda Scoriacensi bibliotheca consilio Joannes Baptista Cardona episcopus Dertusanus, atque ad cujus exemplar, confecta jam bibliotheca illa Laurentiana, indicem imprimendum divulgandumque suadet: nec vero ille mihi hactenus est visus. In hos usus vero omnino videtur publicatus index bibliothecæ amplissimæ Cordesianæ, cura incomparabilis illius condendarum bibliothecarum artificis, & desiderandæ mihi semper memoriae amici, Gabrielis Naudaei: nisi malis editum magis in id, quo inveniret emptorem, cum ab obitu demum Cordesii sit excusus; quemadmodum

dum & non multo post insigne quasi fundamentum jecit Mazarinianæ bibliothecæ longe omnium in Galliis instructissimæ absolutissimæque.

Et vero editi quidem etiam sunt hactenus, & indies eduntur, catalogi complurium illustrium bibliothecarum, à summis viris magno studio collectarum, qui tamen illum usum, quem secundo nos loco laudavimus minime præstare idonei sunt: propterea quod edi soleant non nisi cum jã distrahendi vendendiq; sunt libri ipsi, atq; adeo cum bibliothecæ istæ in studiorum usum non amplius patent, nec debent patere. Quin tamen usum illum quẽ primo loco indicavimus præbere possint: hoc est, quin possint facere ad ἐμπειρίαν βιβλιακὴν parandam, neutiquã diffiteor: imo ad id utilissimos mihi etiam fuisse tales catalogos, ultro agnosco, & in prima statim adolescentia, in Batavis degens, nullo edoctus magistro, cũ expertus sum, tum aliis laudavi. Et sane præstare idem possunt & catalogi officinarum librariarum, qui passim solent publicari; quamvis suum commercium librarium præcipue spectent editores. Referendus autem isthuc videtur & ille libellus, qui Argentorati est editus anno 1578. titulo: *Bibliotheca urbis Constantinopolitana:* recenset quippe manuscripta varia quæ tum Constantinopoli erant venalia. Ejusdem præterea usus sunt & illi, quos typographi ipsi solent edere indices librorum sua cura impressorum. Id quod recte jam olim observavit Conradus Gesnerus, τῆς ἐμπειρίας βιβλιακῆς summus artifex & princeps magistrorum: ac proinde non dubitavit, cum singulos præclari operis Pandectarum suarũ libros celeberrimis ætatis suæ typographis consecrare, tum simul edere nonnullorum typographicos ejusmodi indices, Christophori scilicet Froschoveri, Aldi Manutii, Sebastiani Gryphii, Christiani Wecheli, Johannis Gymnici, Frelloniorum, & Frobenianorum: quas ipsi typographi nondũ illos forte publicassent: recentiore

enim hoc videtur instituto cœpisse. Quin imo & qui commercii librarii caussa edi solent indices, quales sunt jam centum amplius annis Francofurtenses nostri nundinarii, & qui nuper demum in Batavis & Gallia cœpere, prodentes anni cujusq; novum proventum, juvare itidem librorum peritiam perquã idonei sunt. Hoc institutum Francofurtense cœpisse anno 1564. auctore Georgio Waltero testatur A. Miræus biblioth. ecclef. parte altera cap. 127.

Sed quo prolabor? Nec enim hujus operæ est, modum parandæ librorum peritiæ edocere, sed fortassis alias nos illa cura occupabit. Hoc unicum volebam, ILLVSTRIS BOINEBVRGI, indicis editionem duplici modo prodesse plurimum posse literariæ rei: idque quod præter alios indices, qui non nisi ad βιβλιακὴν ἐμπειρίαν nonnihil faciunt, singulatim queat efficere, ut bibliotheca AVGVSTA justum sui usum possit omnibus exhibere.

III. Est vero & tertia ratio, eaque (nisi fallor) momenti non levis, quæ itidem editionem indicis urget quam maxime. Ea est, quod sola indicis editione possit æterna parari memoria operarum illarum ingentium, quæ in bibliothecarum quarumvis admirabilium structuram impensæ sunt. Multis scilicet periculis & damnis, imo & variis interitus speciebus, obnoxia est bibliotheca quælibet. Et vero privatæ cujusvis duratio pene momentanea est. Stant illæ plerumq; & cadunt cum suis collectoribus: rarissime illis transeuntibus ad heredes perinde φιλοβίβλους, aut fortunatos adeo, ut vitæ tolerandæ necessitas distractionẽ haud imperet. Vt alia nunc taceam infortunia quibus affligi infelices illæ bibliothecæ solent. Quale utiq; patrũ memoria experta est, illa celeberrimæ quondam famæ & extra fere comparationẽ locuples Johannis Vincentii Pinelli, viri ad ingenium & mores Pomponii Attici nati pariter ac compositi; quæ cum herede diu conflictata,

cum

cum navigio Neapolim duceretur, à barbaris piratis intercepta, & velut exigui pretii merx in mare abjecta fuit, superstite relicta parte perexigua, quæ in Ambrosiana bibliotheca, Friderici Borromæi liberalitate, Mediolani nunc conquiescit. Vide quædam de hac bibliotheca ap. Thuan. *l. 4. d. vita sua p. 1213.* de reliquiis superstitibus ap. Gass. *vit. Peireskianæ pag. 255.*

Satis ex privatis unam illam, ceu omnium celeberrimam, in exemplum tristium vicissitudinum memorasse. Sunt vero etiam publicæ bibliothecæ, quamvis potentū tutela securiores, obnoxiæ adversantis fortunæ malis gravissimis. Quæ sane forte omnium antiquissimis Osymanduæ Aegyptii regis, illius fronti quidem inscriptum fuisse elegans illud, ψυχῆς ἰατρεῖον aut ANIMI MEDICINAM, sive medicam officinam ψυχῆς, ex Diodoro Siculo discimus, ast cum nulla ejus mentio alia uspiam extet, eam dudum periisse argumento est certissimo. Non multo melius videtur fuisse fatum ejus quam in Græcia omnium primam instituit Pisistratus. De illa Gellius l. 6. cap. 17. *Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus. Deinde studiosius accuratiusq; ipsi Athenienses auxerunt. Sed omnem istam postea librorum copiam Xerxes Athenarum potitus, urbe ipsa præter arcem incensa, abstulit asportavitq; in Persas.* Habet idem Isidorus: sed ut facile liqueat ex Gellio excerptum; Dixeris rediisse tamen libros illos. Ita sane narrat mox Gellius: sed id contigit forte fortuna, & diu post, rebus jampridē deploratis. *Hos porro,* inquit, *libros multis post tempestatibus Seleucus rex qui Nicanor appellatus, referendos Athenas curavit.* Constat vero nec illam felicitatē diuturnam fuisse. Cum sane Athenis omnes bibliothecas postea victor Sulla Romam avexerit, citra dubium & hæc isthuc cum aliis transiit. Ibi vero incendio una cum aliis tandem periisse per est verisimile. Quicquid cujus autem sit, quam infelici fortuna jactata sit ipsa prima &

forte

forte unica Græciæ bibliothecarum publica, etiam sic palam est. Conflagrasse vero tandem bello Pompejano Alexandrinam, qua nulla in orbe celebrior unquã extitit incendio à Cæsaris milite excitato, certissime constat. Quanquam enim ejus non Cæsar ipse nec Hirtius meminerint, & Tertullianus adhuc sua ætate non dubitaverit gentiles ad Ptolomæi bibliothecam superstitem provocare, refert id tamen Seneca, Plutarchus, Dio, Gellius, Ammianus, imo & Livium narrasse, ex Seneca colligere est. Quæ celebritate huic quondam fuit proxima Attalicorum regum Pergamena, in Cleopatræ gratiam jussu M. Antonii triumviri per vim Alexandriam deducta est, teste Plutarcho in vita illius Antonii. Immitiore fato interiisse plane videntur, (Neroniano nempe illo igne, quo universa propemodum Roma simul cum privatis bibliothecis tantum non omnibus in cinerem redacta est) luxuriosissimæ illæ bibliothecæ quæ Octaviani Augusti forte auspiciis non ita pridẽ institutæ publicatæq; erant, cum in montis Aventini atrio libertatis Asinia, tum prope Marcelli templum Octavia. Nec vero post Neronem ullam earum memoriam licet reperire. Secus ac fit de bibliotheca illa, quam in Apollinis templo Augustus consecravit: hujus enim tanquã adhuc integræ meminit Plinius cum *l.7. cap.8.* tum *l.34. cap.27.* etsi nondum ulla fuisset bibliothecarum perditarum facta reparatio. Quod nempe Domitianus demum instituit; de quo Suetonius: *Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undeq; petitis, missisq; Alexandriam, qui describerent, emendarentq;.* Est autem per etiam verosimilis Justi Lipsii conjectura, quam habet in elegante illo *syntagmate de bibliothecis cap. 7.* ab ipso illo Domitiano structam in Capitolio celeberrimam istam bibliothecam, quæ Commodo imperante, fulmine icto Capitolio, itidem conflagravit: cujus infortunii meminit Dio *l.72. sub finem.* Herodianus *l.1. c.14.* Eusebius *in*
chroni-

chronico & Orosius *l.7.cap.16.* Fuit autem hoc non alia ab illa in templo Pacis (etsi diversam crediderit Lipsius) sæpe adeo Gellio & Galeno memorata: quod vel ex solis querelis Galeni colligere fuerit, de libris suis cum templo Pacis Commodo imperante conflagratis, & situ illius templi, prope forum scilicet ad pedes Capitolini montis. Favit perquam benigna fortuna bibliothecæ Palatinæ, & quæ gentili principis conditoris Trajani nomine audire solet Vlpia. Et vero adhuc Constantini Maximi ævo P. Victor in descriptione urbis memorat bibliothecas publicas *unde triginta, & ex iis præcipuas duas Palatinam & Vlpiam:* imo seculo christiano quinto adhuc in Vlpia utraque, h. e. græca pariter latinaque bibliotheca (ita enim fere Romanæ bibliothecæ omnes distinguebantur) Sidonio Apollinari statuam esse positam ex hoc carmine patet:

Cum meis poni statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utriusque fixam
Bibliothecæ.

Neutram etiam harum legas vel flamma vel militari direptione periisse. Tandem tamen harum etiam utraque disperiit: idq; fortassis præ ruditate partim, partim & superstitione Romam incolentium. De ipsomet sane Gregorio primo id nominis papa, quem magnum cognominant, *l.2. de Nugis Curialium* ita scribit Joannes Sarisberiensis non vanus aut proletarius auctor: *doctor sanctissimus ille Gregorius, non modo mathesin pepulit ab aula, sed, ut traditur à majoribus, incendio dedit probatæ lectionis*

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Verum illi quidem famæ fides debeatur nec ne, incertum arbitror. De eodem enim Gregorio nonnulli quidē memorant, *ejus mandato veterum ædificia Romæ dirupta esse, ne peregrini & advenæ, ad urbē religionis caussa venientes posthabitis locis sacris,*

arcus triumphales & monumenta veterum cum admiratione adspicerent: veterum item statuas Gregorium obtruncasse & disjecisse, atq; hinc natum illud successoris Sabiniani in Gregorium odium: negat id tamen omne Platina, quanquam nullo adducto pro sententia sua firmo testimonio. Post Platinam fecit idem Ciacconius, sed nonnisi Platinæ verbis, quamvis nomine ejus improbe dissimulato: quod non attenderat doctissimus scriptor Josephus Maria Suaresius in illa luculenta sane *Diatriba de Foraminibus lapidum in priscis ædificiis*, qua me Tu antehac donasti. Quocunq; autem modo tandem bibliothecæ istæ perierint, certe perierunt. Valere cæteroquin plurimum ad libros delendos superstitionem, non est quod cuiquam videatur absimile vero, qui vel ad nostri ævi res attenderit. Nec enim opus est exemplum aliud adducere. Quamvis, mereatur in majus fidei robur expendi & illud, quod de libris græci latinique sermonis per omnem Africam, superstitiosi nescio cujus Caliphæ jussu abolitis, narrat Joannes Leo *l. 1. Historiæ Africanæ:* quo effectum videtur, quod non tantum nulla illarum linguarum monumenta, sed nec eorum ulla Arabice ex Latino versa in Aegypti & Africæ bibliothecis hodie supersint. Quæ veteris Romæ bibliothecarum, illa vero tandem & earum fuit, quas nova Roma in æmulationem veteris construxerat. Narrat enim Zonaras pariter & Cedrenus, Basilisco imperante, bibliothecam ibi conflagrasse: in qua centum viginti millia librorum essent recondita: inter ea draconis intestinum centum viginti pedes longum, cui aureis litteris Homeri Ilias atq; Odyssea fuerint inscripta. Testis idem est Zonaras tomo tertio, Leone Isauro imperante, subjecto igne periisse una cum ædibus Oecumenici doctoris, quicquid ibi asservatum hactenus divinae & humanae sapientiae codicum. Præter Constantinopolitanam autem orientale Romanum imperium bibliothecam nullam fere olim quidem habuit.

Haud

Haud necessum vero videtur, publicarum bibliothecarum pericula & clades repetitis ex remoto ævo testimoniis ostendere, quum propinquiora (proh dolor!) omnibus sint nota. Quis videlicet ignorat triste fatū, quo vere regia illa Budensis bibliotheca, à Matthia Corvino primum structa, avorum memoria interiit, cum vix annos sexaginta floruisset? Cujus *librorum cultum luxuriosissimum, & miram utriusque linguæ fœcunditatem* fuisse, ne Bonfinio duntaxat credamus, faciunt quæ passim terrarum & in ipsa AVGVSTA, superant exiguæ quàmvis reliquiæ. Historicorum principis Jacobi Augusti Thuani verba hæc sunt *l.1.* ejus operis quo ipsemet suam vitam posteritati instituit tradere. *Petrus victorius subinde ingemuit, quod antiqua medicea tanti nominis bibliotheca, per seditiones domesticas Romam, & inde extra Italiam avecta erat. Ea est quam Catharina regum nostrorum parens, magno pretio, quantumvis Cosmo contradicente, comparatam, in Galliam transportandam impetravit, & per bibliothecarium seorsim, quamdiu vixit, apud se habuit. Quam demum Thuanus à creditoribus ejus pecunia regis redemptam in bibliothecam regiam inferendam curavit, & congestum à magnis regibus thesaurum tanta accessione locupletavit.* Dixeris non periisse quæ tam feliciter translata est. Interitui tamen proxima fuit, & periit Florentinis; cui loco illam Laurentius Medices quasi consecraverat. Quid in Tunetanæ arcis direptione, quo tempore regnum illud Muleassi regi Carolus quintus imperator restituit, contigerit, audi sodes *l.37.* historiæ narrantem Paulum Jovium. *In ea,* inquit, *arcis direptione tria incomparabilis jacturæ detrimenta Muleasses deploravit. Arabicorum voluminum inprimis, quæ conturbata atq; direpta bibliotheca perierunt. Asservabantur enim antiquissimi codices, non disciplinarum modo omnium præcepta, sed superiorum etiam regum res gestas, & Mahumetanæ superstitionis interpretationē continentes;*

quos rex ipse postea, me audiente, se unius urbis pretio, si fieri possit, avide redemturum differebat. Africana hæc fateor sunt, atq; itidem longe petita: cum vera tamen sint, doceantque etiam in Africa publicis bibliothecis quamvis regiis non semper esse satis consultum, cuivis alii idem contingere posse, etiam hinc est manifestum. Multo maxime vero nostris quidē hominibus id demonstrare potest Palatina illa, quæ Heidelbergæ ante ferale nuperum Germaniæ bellum summa floruit celebritate, & manuscriptorum cum multitudine tum bonitate omnē antehac Europam provocavit. Illa scilicet non ita pridem, atq; adeo ipsa nostrâ memoria huc illuc direpta, meliore vero sui parte, æterno cum Germaniæ damno tum concedentium dedecore, per vim Romam avectâ, curante à pontifice in id misso Leone Alatio (nec vero silebimns viri nomen, cum hinc etiam laudem captet) in Vaticanam transiit. Documento tristi omnibus facto, quam nulla licet regia & publici usus bibliotheca, possit secura esse; sed solere etiam hasce tandem magnis vicissitudinibus esse obnoxias, imo deniq; totas sive violenta direptione, sive manu furtiva, sive ignis aut aquæ adversitatibus, sive quo aliquo modo perire atque occidere.

Vt ad rem vero accedamus; hi interitus ingentium illarum & publicarum bibliothecarum, non cum literariæ duntaxat rei, sed etiam cum famæ & gloriæ, quam merentur conditores, summo sunt dispendio conjuncti. Interit scilicit fere cum opere fama etiam omnis in opus factæ impensæ & curæ. Quod profecto indignum est & deplorandum. Sumptus scilicet maximi, labor ingens, studiū indefessum, animus erectus, liberalis, studiosus sapientiæ, vere regius, ad struendas magnas illas bibliothecas requiruntur. Nisi omnia isthæc adsint, nulla talis bibliotheca emerserit. Debetur utiq; tantis virtutibus & tam egregiis actibus gloria perennis, debentur gratiae immortales.

mortales. Non hæc quidem potiſſimum ſpectaverit prudens bibliothecæ conditor: nec peccaverit tamen ſi illo calcare patiatur ad tantos conatus ſeſe incitari. Vtq; omnia quis hæc magno animo contempſerit, & virtutem ipſam præmium ſibi eſſe voluerit; intereſt tamen reipublicæ, ne præclara facinora ſua laude fraudentur, neve poſteritati ſubtrahantur exempla in æmulationem. At vero in illa incertitudine humanarum rerum omniū, inq; illo facili interitu quamvis regiis conatibus ſtructæ cujusvis librariæ ſupellectilis, ab ipſis operibus profecto æternum nomen, quod debeatur, exſpectare haud licet. Aliunde igitur perennitas illa petenda erit. Atq; hiſtorica quidem monumenta juvant & hic non parum. Abſq; illis certe eſſet, periiſſet dudum & memoria univerſa græci pariter latinique orbis bibliothecarum omnium. Plus juvant ipſæ librorum recenſiones: ceu apparet utique ex illis antiquis indicibus græcis pariter romanisve, qui etiamnum ſuperant, ne novos ac recentiores noſtros hic commemoremus. Enimvero laborat ipſa annalium fides circa bibliothecarum veterū præcipue admirandas divitias, idque ex indicum defectu. Recitavi paulo ante Antonii Bonfinii verba de bibliotheca Budenſi. Quanto plus autem ad illius faciunt perennem gloriam, quæ in ſua ad Salviani *libros de gubernatione Dei* ab ſeſe primum editos præfatione, habet Johannes Alexander Braſſicanus! *Inſpexi,* inquit, *libros omnes. Sed quid libros dico? Quot libros tot etiam theſauros iſthic inſpexi. Dii immortales, quam jucundum hoc ſpectaculum fuiſſe quis credat? Tunc certe non in bibliotheca, ſed in Jovis gremio, quod ajunt, mihi eſſe videbar. Tantum erat hic antiquorum græcorum ſimul & hebraicorum voluminum, quæ Matthias ille Rex, capta jam Conſtantinopoli, everſisq; multis aliis ampliſſimis græciæ urbibus, ex media græcia inæſtimandis ſumtibus coëmerat, ac tanquam mancipia ex barbarorum cataſtis atq; compedibus receperat. Tantum erat hic latinorum librorum, &*

veterum & recentiorum (procul tamen ablegatis omnibus sophisticis, ut nusquam alibi, quod ego quidem sciam. Siquidem Matthias rex (quem recte librorum helluonem appellaveris) quatuor insignes librarios Florentiæ magnis impendiis alebat, quorum is unus & unicus labor erat, ut omnes melioris notæ auctores & græcos & latinos, quos commodum ex Græcia habere non poterat, exscriberent. Nam ipsa typographice, (ut exigua sunt omnium rerum principia) nondum tam late radices egerat, ut ardentissimis illis & vere regiis votis regis omnium excellentissimi satisfacere posset. Vidimus istic (id quod syllabo nostro recensere possum, & oculata fide) vidimus integrum Hyperiden cum locupletissimis scholiis, librum multis etiam censibus redimendum. Vidimus grandem librum apostolicorum canonum, opus incomparabile. Vidimus Theodoretum Cyrensem in Psalterium integrum. Vidimus Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Nazianzeni, Basilii Magni, Gregorii Nisseni, Theophanis, Dorothei infinita opera. Vidimus Marcum monachum, cognomento Anachoritam. Omitto poëtas, oratores, philosophos atq; historicos, quorum hic immensam vim inspicere licuisset. Vidimus auctores græcos innumerabiles, infinitaque in poëtas fere omnes commentaria, nemini doctorum, aut paucis omnino antea visa. Proculdubio BOINEBVRGI, sentis, quantam vim habeat vel oratio ad memoriam inclytæ illius bibliothecæ conservandam. Quid vero, si bibliothecæ catalogus integer præ manibus esset, nonne æternam illi laudem superesse diceres, quamvis ipsa jã pridem tota perierit? Periit Germaniæ Palatinus ille ad Rhenũ librarius thesaurus. Modo tamen index ejus superaret, cresceret quidem dolor, simul vero nullum priscæ fortunæ certius & perennius monumentum reperiri posset. Nunc legimus duntaxat in Josephi Scaligeri ad Janum Gruterum epistolis de indice illo, altera vice, anno videlicet seculi hujus octavo, cum antehac anno tertio jam curasset, misso: *Indicem bibliothecæ vestræ sedulo legi. Locupletior est & meliorum librorum quam Vaticana:*

icana: itaq; voluptati fuit legisse: facta etiam collatione in-licum illorum omnium quos de scriptis græcis codicibus ec-lesiasticis Possevinus apparatui suo sacro subjunxit, reapse xperimur, hanc unam omniũ etiam istius argumenti longe pulentissimam fuisse, & omnibus aliis præripuisse palmam. i integer ille index superesset, numquid melius ad æternam loriam parandam vel voto possis effingere? Sed frustra hisce nmoramur.

Vt ad epistolæ igitur hujus initia tandem redeam: justis-mis profecto rationibus, ILLVSTRIS BOINEBVRGI, otus es, ad id, ut à serenissimo principe ac domino meo eteres editionem indicis AVGVSTAE bibliothecæ. Feci & go idem non minus strenue, iisdem plane adductis argu-entis. Neque vero ipsemet sapientissimus atq; optimus rinceps rationum à nobis adductarũ pondera non probe est ssecutus, vel iis animi tantum pertinacia quadam est relucta-s. Optime illas non etiam monitus pridem intellexit, nec uicquam hactenus habuit antiquius, quam omnibus modis x stupenda illa sua librorum congerie debitum fructum acci-ere. Si quis sane principum φιλόβιβλος, utique maximus à ima usque ætate fuit princeps noster. Vt non de sese minus uam olim Marcus Antonius imperator dicere potuerit: λοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ἱέρων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι ἐμοὶ δὲ βιβλίων τήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Qui talis vero est, quid i & amet alios omnes librariæ rei amatores, idque studium lit propagatum? Minime vero illum latet, quanta ad libro-m notitiam parandam vis sit indicum: longo scilicet usu il-n sæpius expertus. Ac proinde non est quod dubites, nisi iid impediat indice AVGVSTAE bibliothecæ edito, etiam pere principem optimum ἐμπειρίαν istam βιβλιακὴν quam axime adjutam. Quam porro idem ille noster Heros facilis ac paratus, illo thesauro suo præclarorum quorumq; virorũ

conatibus

conatibus literariis prodesse, ut tibi quidem multis tester, non arbitror esse necessarium: cum luculentum liberalitatis hujus ipsemet nuper experimentum feceris, in amplissimi Ezechielis Spanhemii gratiam per me petens ex AVGVSTA illa supellectile & scriptos & antiquiores quosque excusos Luciani codices. Nec vero ignoras, simulac ipsiusmet Spanhemii literæ adventarunt, ex equestri principis custodia, media hyeme, Heidelbergam in id unice nonnullos ablegatos, qui libros desideratos ultro deferrent. Cujus rei nescio num quid simile in quoquam principum alio Tu observaveris: mihi inusitatum videtur, nec aliter accepit doctissimus Spanhemius. Vt possit igitur quam plurimis cedere in usum AVGVSTVS thesaurus, quid ni princeps velit indicem illius edi: non ignarus utique, indice edito potissimum posse justum bibliothecæ fructum decerpi ab eruditis? Qui ignoret porro prudentissimus princeps pericula & damna, quibus etiam hæc sua AVGVSTA bibliotheca sit exposita? cum nihil illum temere lateat vicissitudinum humanarum, abunde illas edoctus etiam ipsomet longo usu. Expertus etiam, quam parum aliquando hic ipse thesaurus, nuperrimo illo ferali bello Germanico, & quidem illo anno hujus seculi sexto post tricesimum, quo aulam suam in avitam urbem Brunsuicum transferebat, à violenta Martis pullorum direptione abfuerit in Hiddonis agro adhuc hærens. Ex eo quidem de longe tutiore domicilio prospexit AVGVSTAE suæ: recepta illa primum Brunsuici, urbe utique perampla & populosa & in medio illo bello pene sola secura, inde Wolfenbütteli oppido Germanicorum nulli robore ac munimentis secundo, & quidem utrobiq; data sede ab ignis etiam injuria sic satis tuta: conscius tamen sapientissimus princeps, cuilibet contingere posse quod cuiquam contigit, ne ita quidem omni ex parte omnibus adversitatibus obviam esse itum, exactissime intelligit. Quamvis etiam du-

dum

dum contemnere didicerit conatus hominum, æternitatem nominis ex ſtructis operibus unice exſpectantes; neq; tam hoc quam uſum publicum tantis impenſis, & laboribus quæſiverit princeps optimus; quis tamen tam præclaro & vere incomparabili monumento quavis etiam cunque ratione æternam memoriam parandam eſſe, non arbitretur? Quis non principi ſuaſerit hoc etiam agere, & præſertim illa usque adeo provecta jam ſenectute?

Vir doctiſſimus undequaque Varro

(liceat uti vetere Terentiani Mauri verſiculo, quo nec S. Auguſtinum puduit uti) Varro, inquam, initio eximii operis, quod de re ruſtica nunc etiam ſupereſt, lepide, ut ſemper: *annus*, inquit, *octogeſimus admonet me ut ſarcinas colligam antequam proficiſcar è vita.* Felicior quidem Varrone eſt princeps noſter, propediem, proximo ſcilicet Aprilis decimo die, annum octogeſimum tertium jam inchoaturus, & ſenex ſine ſenio, hoc eſt ſine illis ſenectuti propriis moleſtiis: (addat Deus molles annos complures!) in vitæ tamen hujus negotiis *properandum* ſibi novit, qua valet ſapientia: *quod ut dicitur, ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex*; quæ verba iterum ſunt Varronis. Hinc ſapienter cogitat utique, non etiam monitus, quo pacto AUGUSTAE ſuæ, usq; adeo adamatæ, cum ſtabilis diuturnitas, tum æterna memoria tempeſtive queat comparari: nihil temere ejus omiſſurus iſthuc quod faciat. Gnarus etiam nullum certius monumentũ bibliothecis, cum tot ſint infortuniis obnoxiæ, ſtatui poſſe, quam indicibus publicatis & per manus hominũ paſſim terrarum typographica arte diſperſis, nihil equidem malit, quam ſuæ quoq; AUGUSTAE perennitati ſic conſulere. Imo vero, quum ad tuas ſollicitationes ſtrenuus ego ſuaſor acceſſiſſem, jam conſenſerat tot rationibus inductus princeps optimus in catalogi editionem; quod haud dubie meminiſti. Quare non ſuccedit igitur? forte quæſieris. Fortaſſis etiã ſuſpicaris

caris indicem nondum confectum esse, atq; adeo desperari ejus confectionem in tanto librorum numero. Desperarim sane & ego, nisi jam confectus esset. Nec vero illa librorum annotatio uno & altero mense à scriba aliquo, ceu tu visus es credidisse, posset expediri: sed occuparet hominem eruditum peritumq; librariæ rei non unum, nec per menses binos sed per integros aliquot annos: à typographicis vero operis itidem vix intra biennium magnis sumptibus absolvi excusio posset. Non diffiteor & me in eodem fere tecum errore versatum aliquando, faciliora itidem quæq; mihi promisisse: ut solemus sæpe aliena ex domesticis æstimare. Nosti illud vetus Tityri:

Vrbem quam dicunt Romam Melibœe putavi
Stultus ego huic nostræ similem:

quodque mox sequitur:

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Difficillimi scilicet confectu sunt indices, accurati quidem, maximarum quarumvis bibliothecarum, præ copia imensa, eorum quæ annotanda veniunt. Eoq; raro reperire est absolutum aliquem bibliothecæ id genus indicem. Pleriq; imperfecti sunt. Vnius Vaticanæ catalogi possunt esse pro exemplo. Quam ille qui in manus incidit Josephi Scaligeri (fuit autem haud dubie tantum manuscriptorum codicum) fuerit pretii exigui, significant hæc ejus ad Janum Gruterum in epistolis verba: *Quod in alteris literis à me indicem bibliothecæ Vaticanæ exigis, scito me illo ad tres horas tantum usum: in quo ego nihil prorsus reperi, quam vulgaria omnia: præter tres aut quatuor mathematicos, quos in bibliotheca vestra & regia extare scio. Reliqua ejusmodi sunt, ut te ignorare ea præstet, quam unius horæ jacturam in illis legendis facere. Statim librum reddere coactus sum: erat enim auctio facienda: & statim emtorem stultum reperit.*

Non

Non me latet, infra exſpectationem eſſe Vaticanam, etiam ex illo catalogo Græcorum manuſcriptorum codicum apparere, quem juxta cum aliis ejusdem argumenti ſubjunxit ſacro apparatui Poſſevinus: adeo vilem autem eſſe, qualem indicem ejus Scaliger deprehendit, vix ſit veroſimile. Imo vero dixerim ego longe veriſimilius, forte ne nunc quidē bibliothecæ illius catalogum integrum eſſe confectū, etſi jam à Sixto IVto usque, cujus juſſu confuſi antehac ſparſiq; libri in ordinem cœpere redigi, in id ſtrenue à quam multis fuerit laboratum. Et Peireskium anno 1616. ſupplementum accepiſſe indicis mss. Græcor. biblioth. Vaticanæ ſcribit Gaſſendus *pag. 228.* Nata mihi ſane eſt illa ſuſpicio ex Leonis Allatii V. C. libro illo quem Apum Vrbanarum titulo inſcripſit: ubi de Alexandro Raynoldo, quem Clemens IIX. bibliothecæ Vaticanæ cuſtodem conſtituit, diſſerens ita loquitur: *continuavit indicem librorum latinorum, qui calamo exarati aſſervantur in bibliotheca Vaticana, addiditq; indici ſextum & ſeptimum tomum, cum quinque priores confecti eſſent à Dominico ejus fratre, dictæ bibliothecæ cuſtode. Confecit idem indicem librorum latinorum manuſcriptorum, qui ex ſpoliis electoris & Heidelberga in Vaticanam bibliothecam anno 1623. advecti ſunt; congeſſitq; in eos varias obſervationes & notas.* Quin imo crediderim, nonniſi Græcorum codicum indicem Scaligero viſum eſſe: perinde atq; hujus omnius etiam in catalogo Græcorum manuſcriptorum bibliothecæ Bavaricæ codice cxxcv. ſit mentio. Quicquid vero hujus ſit, nihil certius, quam vaſtarum bibliothecarum indices integros, ut confectu perquam difficiles, ita rariſſimos repertu eſſe: ac proinde hoc etiam multis in locis obſtare, quo minus catalogi in lucem prodeant.

Cæterum ne hoc quidem: quo minus AVGVSTAE quidem bibliothecæ catalogus edatur, vel impediit hactenus, vel poterit inpoſterum impedire. Index ille (ſi pauca excipias,

ob quotidianam bibliothecæ acceſſionem) ea cura, eo ſucceſſu eſt elaboratus jam, atq; ad maturitatem perductus, ut omnem ſuperet exſpectationem & nec voto quicquã magis omnibus perfectũ numeris poſſit iſthoc in genere expeti aut deſiderari. In ſtuporem profecto abreptus ego ſum, ſimul ſpectavi ingentem tot voluminum molem, quæ indicẽ iſtum referunt: multo magis, ubi ſpiſſos illos & ampliſſimæ magnitudinis codices, curioſius inſpicere cœpi & evolvere. Librorum ipſorummet index integris quinq; conſtat vaſtis regali, quam vocant, proceritate voluminibus: ſeorſim duo ſunt volumina cum prioribus illis miro artificio connexa non libros ſed auctores memorantia. Quinq; priorum tria volumina ipſemet princeps manu ſua conſcripſit: id quod mecum haud dubie admiraberis, cum plane omni careat exemplo. Omnia porro voluminum illorũ & plene & charactere minuto ſunt ſcripta: ne vacuas chartas aut ſeſquipedales inanes literas obtrudi opineris. Eſt præterea & alius index celebriorum quorumque typographorum univerſæ Europæ; alius adhæc omniũ ſacræ ſcripturæ commentariorum, interpretationũ, annotationũque: uterque itidem ab ipſomet confectus principe: cujus ingenio & induſtriæ in univerſũ debentur hæc omnia, niſi quod ad nonnulla miniſtrantiũ manus adhibitæ ſint, nil tamẽ præter manus. Inuſitatam ſcilicet non in confectione duntaxat indicum diligentiam, ſed etiam in ipſis indicibus artem obſervare eſt. Nec vero equidem memini illam à quoquam ſcriptis proditam; quamvis Naudæus bibliothecariam artem reliquã omnem eximio libello egregie ſit perſecutus: imo nusquam illam alibi deprehendi, nec à quoquam audivi memoratam. Vt proinde illa ars AVGVSTAE bibliothecæ ſit propria: ſicut tota ſoli item acutiſſimo principis ingenio accepta ferenda eſt. Ea arte vero fit, ut primo librorum codici quatuor reliqui tanquam fundamento ſint ſuperſtructi: omnes porro li-

brorum auctorumq; codices ita cohæreant, ut momenti pene spacio ab imperitiore etiam quovis, tantum legere si sit peritus, indicari possit, cujuslibet auctoris scriptum unumquodvis, quam variis aut vicibus aut editionibus, quo item loco exemplar quodq; in ipsamet bibliotheca, inveniatur. Nescio num vel sic hariolando vim naturamq; artis illius assequaris: in rem præsentem sane si venias, non dubito te affirmaturum, nihil temere ingeniosius tibi alias visum.

Igitur ut non per optimi principis voluntatem, ita nec per indicis aut defectum aut imperfectionem stat, quo minus ille publicetur. Quæris, quid ergo obstet? Magnitudo indicis: ea videlicet ipsius prolixitas, ut vix duobus grandibus voluminibus, si etiam literas adhibeas minutiores, à typographo biennii spacio queat produci in lucem. Idem quin & aliis omnibus primi atq; (ut ita dicam) regii ordinis bibliothecis usu veniat, haud equidem dubito: quare de talium, integris sane, indicibus publicandis, res apud me est plane deplorata. Et vero quos hactenus vidimus editos indices, vel bibliothecarum sunt non valde prolixarum, vel non nisi partium quarundam, & quidem potissimum manuscriptorum Græcorum codicum. Quales excudere, nulla vel levis est molestia.

QVIN igitur, illam indicis quidem exspectationem uterque nostrum deponamus imposterum, & nosmetipsos accusemus potius imprudentiæ, qui & suadere & urgere ausi sumus rem effectu non difficillimam duntaxat, sed impossibilem. Expende nihilominus mecũ, ILLVSTRIS BOINEBVRGI, illius AVGVSTAE bibliothecæ saltim ista admiranda, quibus bibliothecas omnium maximas veteris nostrique ævi, nullas non æquat, & multas imo omnes longo post sese relinquit intervallo. Næ vero unum est aut alterum ejus quasi miraculum, sed multiplex: quæ proinde suo æstimãda pretio à nobis sunt, si in principem pii, & quod in prudentum bonorumq; officio

est, præstare velimus. Te autem non minus quam me velle id agere, habeo persuasissimum: minime scilicet ignarus, quasis erga incomparabilem principem observantia, quamve æquus præclararum quarumque rerum æstimator.

Ac primum quidem habet AVGVSTA illa in conditore suo aliquid plane inusitatum, & omni carens exemplo, ac proinde admiratione dignum maxima. Non urgebo nunc, quod conditor ille sit generis prosapia & antiquitate nulli magnorũ principum secundus, aut quod primus suæ gentis ad bibliothecam operose instruendam animũ appulerit. Jam tum olim scilicet & secuta tempestate fere omni, hæc cura reges principesque quammultos occupavit. Aegypti nempe rex fuit quondam Osymanduas, qui bibliothecam ab sese structam ψυχῆς ἰατρεῖον nuncupare haud dubitavit. In eadem Aegypto Macedonica gente rex fuit Ptolomæus Philadelphus Alexandrinæ longe omnium celeberrimæ bibliothecæ structor. Qui *Athenis libros disciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus posuisse dicitur, Pisistratus* fuit, *Tyrannus* ut tum vocabant, ut nos princeps, Atheniensis: quæ fere sunt Gellii *l. 6. Noct. Atticarum* verba, jam tum adducta in medium. Pergamenæ bibliothecæ auctores Eumenes & Attalus reges in primis memorantur. Primus etiam Romæ bibliothecas Græcas & Latinas publicare destinavit Julius Cæsar, cum jam rerum omnium potiretur; opus destinatum Augustus perfecit. Ad ejus exemplum in domo sua bibliothecam Tiberius condidit, cujus meminit Gellius l. XIII. cap. XVIII. Domitiani opus fuisse videtur bibliotheca illa celebris in templo Pacis, & Hadriani Vlpia in æde Trajani. Transgressorem Julianum imperatorem hisce verbis in singulari ejus laudibus dicata oratione celebrat Libanius; βιβλία πάντα πανταχόθεν ἐξεῖλκοσε, καὶ τὰ ταμιεῖα διερευνήσατο ταῦτα μᾶλλον ἢ τὰ τῶν χρημάτων ἕτερα. Ejus epistolam ad nescio quem catholicum Porphyrium recitat Suidas

in

in vocè ἐπιστολὴ, qua jubet Antiochiam transferri Georgii alicujus bibliothecam πολλή τις ἦν, ſcribit, πάνυ καὶ μεγάλη βιβλιοθήκη Γεωργίου, παντοδαπῶν, μὲν φιλοσόφων, πολλῶν δὲ ὑπομνηματογράφων, οὐχ ἐλάχιστα δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ τὰ τῶν Γαλιλαίων (ſic Chriſtianos nuncupare amavit ille ὁ παραβάτης) πολλὰ καὶ παντοδαπὰ βιβλία. Fit vero in Suidæ collectaneis mentio & bibliothecæ à Juliano in æde Trajani Antiochiæ inſtitutæ, in voce ἰοβιανὸς. Vbi eruditio inter Sarracenicæ ſuperſtitionis homines ſui aliquam exiſtimationem accepit, in Aſia pariter & Africa locupletiſſimas bibliothecas quam multi itidem eorum reges coëgerunt. Laudabilis hæc cura ad Europæos deniq; noſtros etiam reges & principes tranſiit, poſteaquam Turcica barbaries capta Conſtantinopoli Græciam inundavit, & cum Græci in exilium pulſi priſcæ eruditionis Græcanicæ, tum alii latinæ veteris litteraturæ deſiderium ſtudiumq; quaſi poſtliminio reduxerunt. In Italia itaq; hoc egit ſtatim, Romæ quidem Nicolaus V. Papa (quidni enim & Romanos pontifices in maximorum principum ordinem referamus?) & non multo poſt Sixtus IVtus, cumprimis vero Sixtus Vt^{s}, Florentiæ vero Laurentius & Coſmus Medices; & Vrbini dux Federicus Feltrius, ejusq; filius Guido: in Gallia rex Franciſcus: in Hungaria Matthias rex: in Germania noſtra deniq; Palatini principes electores ab Ottone Henrico usq; & Bajoariæ duces: ut alios liceat ſilentio nunc præterire, ne recenſio hæc fruſtra excreſcat. Vide de Sixti V. ſtudio in bibliothecam Thuanum excerptis pag. 466. part. 1. Franciſcum Galliarum regem bibliothecam ingentibus ſumptibus ad Fontisbellaquei ædes exſtruxiſſe ſcribit Thuanus l. 3. pag. 57. Roc. pag. 386. ſcribit ab eodem inſtitutam illam, etiam quæ eſt in Abbatia S. Victoris. Hactenus inquam hoc quidem eximium habet bibliotheca AVGVSTA, quod itidem magnum principem nacta ſit conditorem: non propria tamen huic dos illa, ſed cum aliis

quoque

quoque nonnullis eſt communis. Hoc vero proprium & citra exemplum: quod ſolius principis induſtria collecta, quod ſolius principis ære empta, quod ſolius principis opera quam optime diſpoſita, quod ſolius principis cura & arte in catalogum exquiſite relata, quod ſolius principis impendiis aptiſſimum domicilium acceperit, quod poſtremo non ſolius duntaxat ſed plane unius ejusdemque principis ſtudio ex nihilo ad ſummam perfectionem deducta ſit. Par nihil vel vetus vel noſtra ætas vidit. Nemo regum aut principum ſimile quid vel conatus eſt.

Hoc illud eſt, illuſtris BOINEBVRGI, cur merito bibliotheca hæc à conditore ſuo principe nomen AVGVSTAE acceperit: quod alias, fateor, hactenus pene inſolens fuit, eoq; poſſit nunc obnoxium cenſeri cavillationibus. Neq; vero in antiquis quidē monumentis legere eſt bibliothecarum ulli inditum nomen niſi à loco. Quod ſane recentiorum nonnulli nobis memorent, Juliam, Auguſtam, Octaviam, Aſiniam bibliothecas, id facere ſolent nullo veterum monumentorum præeunte. Vnius *Vlpiæ* nomen in Flavio Vopiſco & P. Victore occurrit nomine quidem gentilitio Trajani imperatoris, non conditoris tamen ſui, qui Hadrianus potius videtur eſſe, potiſſimum, ideo tamen, quod in templo Trajani, (quod ab Hadriano demum exſtructum eſſe vel ex eo liqueat, quandoquidem ab obitu demum ex Hadriani ſententia in Deorum ordinem relatus eſt Trajanus, ceu conſtat ex Lampridianea Hadriani vita, atque ita à morte demum idem ille templum Romæ conſecutus eſt: quale & Antiochiæ fuiſſe ab Hadriano conditum in memoriam & adorationem Trajani, ex collectaneis Suidæ, voce ἰοβιανός, palam eſt) quod inquam in Trajani æde bibliotheca Vlpia ſedem fixerit, unde natum illud Gellii l. 2. cap. 27. *ſedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani.* Dionis Caſſii quidem l. 49. hæc etiam verba ſunt latine verſa:

Augu-

Augustus porticus & bibliothecas, à sororis nomine Octavias dictas, exstruxit: sed alibi *Octaviam porticum* reperire quidem est, bibliothecam autem Octaviam forte nusquam: itaq; Dionis illa narratio incertior est. Vtque certa sit, nec illa tamen bibliotheca à conditore nomen invenisset, quippe qui Augustus fuerit, non Octavia ipsa: quamvis ita narret Plutarchus, in quem proinde merito animadvertit Justus Lipsius. Quicquid vero hujus sit, in omni secuto ævo haud itidē reperias nomina bibliothecis indita, nisi assentatione quadam scriptorum. Certe nulla bibliothecarū majori jure à conditore meruit nomen accipere quam hæc AVGVSTA, cum nulla suo conditori tantum debuerit. Quanquam & absque hoc foret, præclarum illud nomen invidere bibliothecæ huic deberet nemo; cum vere sit *Augusta,* consecrata scilicet ecclesiæ & reipublicæ bono; instituta item non avibus quidem bonis, bono tamen & favente Deo: ceu ex felicissimo ejus ab incunabulis usque, ut ita loquar, incremento palam est. Qualia significat vis illius vocis. Quod nos vel Ovidius docuerit, in Fastis canens: Bibl. Augustæ Admirandum. I.

Sancta vocant AVGVSTA patres AVGVSTA vocantur
Templa, Sacerdotum rite dicata manu,
Hujus & AVGVRIVM dependet origine verbi:
Et quodcunq; sua JVPPITER AVGET ope.

Sed fortassis non est, ut multis nomini invidiam deprecemur. Majus operæ facturi sumus pretium, si quæ plane inusitata de serenissimo AVGVSTAE conditore paulo ante memorabamus, nonnihil plenius doceamus. Erat autem illa inter id quasi palmarium, quod ipsemet princeps & collegerit sibi vim illam magnam librorum, & longe optimo ordine disposuerit. Hæc sine exemplo esse, non equidem dubito affirmare. Enimvero de nullo regum aut principū, qui bibliothecas æterna cum nominis fama instituerunt, illa quidē legas: de plerisque alia omnia. Philadelphum sane regem ejus ordinis unum

omnium celeberrimum, constans est cum Judæorum Hellenistarum tum ecclesiasticorum veterum traditio, in colligenda pariter & ordinanda Alexandrina bibliotheca omnia egisse consilio & studio Demetrii Phalerei. Verum hoc fortassis haud æque est certum: quia Demetrio Philadelphus fuime infensus, ejus vero pater solus, Lagi nempe filius, amicus fuit: quemadmodum quidem ex Hermippo refert Laërtius. Hermippi autem narratio non potest non apud nos valere plurimum, cum sit Smyrnæus ille qui Evergeta rege in ipsa Aegyto multa doctrina inclaruit, ipsomet Josepho *l. 1. contra Appionem* teste *diligentissimus circa omnem historiam indagator*. Berytium enim illū Hadriano demum imperatore clarum significari, id quod vult Vossius *l. 1. de histor. cap. XII.* neutiquam est verosimile. Omnis contra Hellenistarum & ecclesiasticorum illa traditio nititur unius Aristeæ narrationibus: quas fabularum esse plenas jamdudum observatum est Scaligero & nostræ ætatis doctoribus aliis. Quid, quod nec illud satis constet, Philadelphusne primus an jam tum pater ejus condendæ bibliothecæ fecerit initium, cum & Irenæus pariter & Anatolius versionem sacrorum codicum patri Lagidæ ferant acceptam, Clemens ipse Alexandrinus *l. 1. Stromatum* sit dubius? Quod si patri illa laus debeatur, hunc Demetrio esse usum per est probabile: quia ipsi à consiliis fuisse, à perquam multis traditum accepimus. Vtcunque vero illud sese habeat, de Julio Cæsare diserte in hunc modum Tranquillus: *Destinabat bibliothecas græcas & latinas quam maximas posset publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum.* Augustum Pompejo Macro *ordinandas bibliothecas* delegasse, ex Tranquilli Cæsare cap. 16. itidem palam est. Idem Tranquillus de Melisso Grammatico: *cito manumissus Augusto etiam insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit.* Idem memorat *C. Julium Hyginum Palatinæ bibliothecæ præfuisse.* Non hisce

hisce annumerabo eos, qui *a bibliothecis* isthoc ævo Romæ fuisse, antiquis inscriptionibus memorantur: videntur enim serviles magis operas bibliothecis præstitisse. Non ausim quoque iis tuto accensere Asinium Pollionem: quia fortassis propria auctoritate non auspiciis Augusti bibliothecam in libertatis atrio publicavit. Avorum memoria vero à Sixto IVto pontifice usque, Vaticanæ restituendæ curam Platina atq; alii susceperunt, non ipsorummet pontificum quisquam. Mazarinianam quoq; bibliothecam studio Gabrielis Naudæi, non ipsiusmet cardinalis, & structam & dispositam esse, nemini est ignotum. Mitto alias memorare, in re usque adeo liquida. Nec vero crediderim palmam hanc AVGVSTO principi quenquam redditurum dubiam: quod regum ac principum primus suapte cura bibliothecam longe locupletissimam & condiderit & ordinaverit, nullius alterius in id consilio aut opera usus.

Pertinet vero huc saltim ex parte etiam illud, quod unus ille princeps, nemine antehac præeunte, & inceperit pariter AVGVSTAM suam & ad hanc stupendam magnitudinẽ perduxerit. Solent scilicet plerumq; bibliothecæ illæ majores, nonnisi longo temporis tractu, & multorum sibi succedentiũ industria, deniq; ad maturitatem suam pervenire. De Alexandrina omniũ olim celeberrima scripserat Livius, teste Seneca, *fuisse id elegantiæ REGVM curæq; egregium opus.* Ipsemet Seneca conditores ejus plures itidem agnoscens, addit: *non in studium sed in spectaculum comparaverant.* Strabo l. I. itidem de Aristotele: πρῶτος ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Gellius quoque l. VI. cap. ult. *Ingens numerus librorum in Aegypto à Ptolomæis regibus vel conquisitus vel confectus.* Ammianus etiam l. II. *Loquitur monumentorum veterum continens fides, septingenta voluminum millia Ptolomæis regibus vigiliis intentis composita.* Paulus quoque Oro-

Bibl. Augustæ Admirandum. II.

ſius l.9. c.13. ſic loquitur: *ſingulare profecto monumentum ſtudii curæq́ majorum, qui tot tantaq́ illuſtrium ingeniorum opera congeſſerant.* Ita illi. Vni quidem Philadelpho ſolent & Helleniſtæ Judæi & eccleſiaſtici plerique laudem hanc adſcribere, ſed ut ante jam dixi, fide Ariſteæ ſcriptoris fabuloſi. Ex quo cum & Joſephus l. xii. Antiquitat. c. ii. & Euſebius l. 8. de præparatione referant illud: *Demetrium aliquando interrogatū quot millia librorum jam haberet, reſpondiſſe, ducenta millia admodum, ſed ſperare brevi ad quingenta:* ſecure credi non poteſt. A Philadelpho tamen eximie ornatam illam bibliothecam, haud equidem negaverim. Nam & Athenæus l. i. refert coëmiſſe illum bibliothecam Ariſtotelis, & alia cum Athenis tum in Rhodo, atq; Alexandriam tranſtuliſſe. At vero & Ptolomæum Evergetem incredibili ſtudio flagraſſe librorum undique congerendorum luculente apparet ex iis, quæ narrat Galenus com. ii. ad libr. tertium epidemiorū Hippocratis ſect. iv: prolixitas prohibet illa huc adducere: delectabit vero plurimum, ſpondeo, ſi Galenum ipſum conſulere volueris. Evergetem autem hunc eſſe illum id nominis primum Philadelphi filium & ſucceſſorem, non eſt cur quis forte dubitet. Etenim & Evergetem ſecundum profuiſſe propagandæ paſſim eruditioni, refert quidem Athenæus ex Menecle Barcæo & Androne Alexandrino, ſed non illa laudabili ratione, verum præ ſævitia pulſis in exilium eruditis. Athenæi verba l. iv. cap. ult. latine ſic verſa ſunt: *Renovatæ ſunt omnes diſciplinæ ſub ſeptimo Aegypti rege Ptolomæo, quem alii præcipue Alexandrini* κακεργέτην *appellarunt. Hic enim multis Alexandrinis jugulatis, nec paucis qui cum fratre ejus adoleverant in exilium actis, urbes ac inſulas replevit grammaticis, philoſophis, geometris, muſicis, pictoribus, puerorum magiſtris, medicis, & aliis multis artificibus, qui ob inopiam ea docentes quæ ſciebant, omni humanitate præclaros viros expoliverunt.* Vsque adeo vero librorum ſtudium fuit Ptolo-

mæorum

mæorum familiæ quasi proprium, ut & Cleopatram ab Antonio suo Attalicam bibliothecam petiisse, atque impetrasse, à Plutarcho sit memoriæ proditum. Quod Alexandrina itaque bibliotheca non uni regi sed multis debeatur, sine hæsitatione licet utique affirmare. Par ratio vero est & hujus æmulæ Pergamenæ. Strabo enim quidem ita fere loquitur l. XIII. *Eumenes urbem instruxit, & donariis ac bibliothecis, uti nunc est, diligenter excoluit.* Plinius quoq; l. XIII. cap. XI. memorat duntaxat *æmulationem circa bibliothecas regum Ptolomæi & Eumenis,* qua factum, *ut supprimente chartas Ptolomæo, Pergami membranæ sint repertæ.* At vero ipse ille Strabo l. eodem, agens de Scepsi & bibliotheca Aristotelis ac Theophrasti Scepsin translata, significat, Attalicorum regum commune studium fuisse, libros conquirere ad instruendam Pergami bibliothecam. Vt proinde nihil aliud voluerit, quam Eumene auctore cœpisse bibliothecas Pergamenas. Et vero accipienda illa sunt de Eumene primo Attali patre, non de secundo, quod Lipsio placuit: qui proinde non poterat satis assequi illam regũ æmulationem: quæ plana tamen est, cum Eumenis primi regnum incidat in ævum Philadelphi atq; Evergetæ: quorum alteruter chartas supprimens membranis Pergamenis dedit originem. Pergamenis, inquam: pridem enim ante membranarum aliquod genus fuisse in usu, certum videtur. Plures uno autẽ Pergamenorum regum bibliothecæ struendæ dedisse operam, etiam Galenus Pergami natus, vir summæ eruditionis, testatur fine commentarii sui in Hippocratis libellum de Natura Humana. *Nam,* inquit, *ante ætatem REGVM Alexandriæ & Pergami, inter quos erat in comparandis libris veteribus contentio, nullus liber unquam falsum titulum habuerat. Verum ut primum acceperunt præmium, qui antiqui cujuspiam autoris libros iis afferrent, tum demum multos falso titulo insignientes attulerunt.* Vitruvius quoque l. VII. scribit: *REGES Attalicos magnis philologiæ*

dulcedinibus inductos egregiam Pergami bibliothecam ad communem delectationem instituisse. Taceo & Aelianum pariter & S. Hieronymum epistola ad Chromatium, diserte æmulationem illam Attalo adscribere, primo scilicet id nominis, Eumenis filio, Evergetæ compari. Quid, quod fortassis ad copias illius librariæ supellectilis etiam sacerdotes juverint? Galenus certe cum in VI. Epidemiorum commentario, tum tertio de fractura ossium libro, memorat, sacerdotes Pergamenos collegisse medicorum antiquorum inprimis libros, partim in mēbranis partim in corticibus tiliæ exaratos. Quin igitur & Alexandrina & Pergamena bibliotheca à non uno sit structa rege, non esse dubitandum videtur. Illa quoq; Constantinopolitana, quam cum centum & viginti millibus librorum constaret, conflagrasse jam tum diximus, *multorum* cura ita excrevisse, iidem qui conflagrationem narrant prodiderunt, Zonaras pariter ac Cedrenus. Præter hasce vero in veteri ævo nulla, summæ quidem notæ bibliotheca, quæ regum studio sit collecta, commendatur. De Sarracenicis bibliothecis parca ad nos memoria pervenit: eoq; non etiam est quod alterutram in partem disseri de iis possit. Ex recentioribus regiam Gallicanam utique sensim crevisse, per varias diversas temporibus ac regibus factas accessiones, vel ex iis, quæ non multum ante adduximus à Thuano commemorata, de antiquæ Mediceæ in regiam translatione, abunde palam est. De Oxoniensi itidem jam innotuit, ex iis quæ jam tum narravimus non semel. Quin imo ex Richardi de Buri episcopi Dunelmensis opusculo, à Goldasto cum epistolis philologicis edito, cui ipse autor philobiblio nomē dedit, manifestum est, bibliothecam Oxoniensem jam tum Eduardo III. rege, h. e. anno seculi christiani quartidecimi quinquagesimo circiter, ut recte Trittchemius computat, per Richardum illum strui cœptam. Scoriacensem regiam Hispaniæ bibliothecam incepit quidē Phi-

lippus

ippus II. sed post demum excrevisse in eam, quae hodie admirationi est, magnitudinem, docebunt quae non multo post adferemus. Qua celebriorem nullam Germania olim habuit, Palatina originem quidẽ suam debuit Ottoni Henrico electori, sed justam amplitudinem post demum accessisse, itidẽ brevi apparebit. Ad Vaticanam complures pontifices operam suam contulisse, notissimum in vulgus est. Anglus Roccha, (qui singulari libro bibliothecæ illius historiam traditurũ sese professus est, etsi nihil habeat dignum memoratu, præterquã quod ex compilatis Onuphrii Panvinii hactenus latentibus monumentis, illaudabili facinore est subductum) *sicut bibliothecam,* scribit, *Vaticanam jam inde à S. Petro ortum traxisse, ita etiam ab eodẽ de ea conservanda curam successori suo fuisse demandatam, conjectari licet: ut ex inscriptione, quæ infra legitur, videre est.* Exspectaret prudens quisq; inscriptionem ex primo ecclesiæ Romanæ ævo: ut hominis judicium autem videas, adfert aliquid à Sixto Vto parieti inscriptum, hæc & alia quidem nonnulla referens, sed æquè ridicula atq; inepta. Equidem haud negaverim superesse in bibliotheca illa monumenta nonnulla vetustatis eximiæ, & a nonnullis pontificibus sensim quædã alii addita: ipsum autem sanctissimum apostolum bibliothecæ struendæ dedisse operam, ejusque curam successoribus mandasse, non dubito, abs Te etiam febriculosis Curiæ adulantium somniis adscribi. Quid? quod nullo testimonio aut indicio sit probabile, Romanos pontifices ante Nicolaum Vtum bibliothecæ librariæ curam magnopere habuisse? *Librariæ* inquam; in alios enim usus ab eorum nonnullis aliquid collectum, haud nego. Ipsemet Roccha Volaterranum laudat testem, qui in hac verba de Nicolao Vto scribit l. 22. *Bibliothecam Vaticanam instituit: missis quaqua versus doctis viris comparandorum librorum gratia. Primus nostri seculi literas pene extinctas excitavit, præmiis omnibus hominibus virtute præditis invitatis*

vitatis. Onuphrius in libri nondum publicati de bibliotheca Vaticana iis fragmentis, quæ post Roccham protulit l. 2. Itinerarii Italiæ c. x. Franciscus Schottus, scribit: ante Sixtum IVtũ *confusos sparsosq; libros neque ullo certo aut digno loco interclusos: Sixtum* vero *indigne ferentem libros illos partim vetustate, partim hominum injuria consumi, certo & oportuno loco digesſiſſe, armariis pluteis ceterisq; instructæ & bene cultæ bibliothecæ necessariis exornasse, atque bibliothecam Vaticanam multis additis voluminibus, ecclesiæ decori, fidei catholicæ amplificationi, publicæ eruditorum hominum commoditati & bonori consecrasse.* De eodem Sixto refert Onuphrius: quod denique anno ab orbe redempto M CCCCLXXV. *perpetuum custodem & veluti bibliothecarium Vaticanæ bibliothecæ tum à sese erectæ, bulla plumbea instituerit Bartholomæum Platinam.* Idem Onuphrius vitam Sixti describens: *bibliothecam*, inquit, *Palatinam in Vaticano, toto terrarum orbe celebrem, Palatino præfecto, adductisq; ex omni Europa libris contraxit, certosq; proventus, unde custodes & librarii, græci latini & hebraici, menstrua salaria, quibus ali possent, haberent, libriq; emerentur, assignavit: opus omnium præclarissimũ & pontifice maximo dignum.* Ipsemet etiam Platina de Nicolao: *Misit & literatos viros per omnem Europam, quorum industria libri conquirerentur, qui majorum negligentia & barbarorum rapinis jam perierant. Nam & Poggius Quintilianum tum invenit, & Enoch Asculanus Marcum Cælium Apicium, & Pomponium Porphyrionem in Horatii opera scriptorem egregium.* A quo Nicolai ingenio quantum abfuerit tamen Paulus IIdus, prolixe idem narrat, hoc etiam adjicens: *Humanitatis studia ita oderat & contemnebat, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in studiis literarum paterentur; satis esse si legere & scribere didicissent.* Verum hæc obiter tantum adjicere placuit, ut magis appareat falsitas ineptarum narrationum Angeli Rocchæ, & inscriptionum

num

num quas ille recenset. Cum vero constet, jam ante Nicolaum fuisse aliquod Romæ inconditum chaos librariũ, & jam à Nicolao ipso, antequam Sixtus formam aliquam bibliothecæ Vaticanæ indidit, undique vim eximiam librorum congestam fuisse, idemq; egisse Sixtum, neminem etiam fugiat saltim illud bibliothecæ istius ingens incrementũ, quod ex spoliis Germaniæ nostra memoria partum est: non uni alicui pontificum posse omnem illam bibliothecam referri acceptã, vero utiq; est verius. Frustra fuerim, si alias etiam bibliothecas nobiliores fortunam suam itidem multorum studiis debere, demonstravero. Et vero illam Matthiæ Hunniadis Pannonicam, ac recentissimam Mazarinianã si excipias, fortassis nullam, quæ quidẽ regum aut magnorum principum auspiciis cœperit, laudare licuerit, quæ eodem auctore orta pariter sit atque ad fastigium pervenerit. Contigit vero hæc felicitas AVGVSTAE nostræ, ceu ante diximus. Vtpote quam optimus idẽ princeps nulla plane adjutus à majoribus jam parata supellectile, quasi ex nihilo novam omnino exorsus est, sensim auxit, & deniq; in hanc magnitudinẽ, quam admiramur, perduxit; quamvis ne nunc quidem magis magisq; eam perficere negligat. Vnicam dicere liceret hanc etiam AVGVSTAE laudem nisi Pannonica illa & cardinalitia venissent in partem. Id tamen manet, plerisq; omnis ævi bibliothecis maximis etiam hac in re AVGVSTAM antecellere.

Subjungam nunc, quo si non magis certe non minus prire, AVGVSTA bibliotheca jactare sese potest, tanquam aliquo præcipuo, quodq; à suo conditore nacta est itidem vere admirabile, eoq; tertio loco numerandum. Pertinet autem etiam illud ad comparationem tantæ librorum copiæ, & quidem ad ipsammet comparandi rationem: in qua itidem optimum principem se singularem præstitisse, nisi fallor, palam futurum est. Apparebunt autem omnia etiam hæc, si præmisero Bibl. Augustæ Admirandum. III.

nonnullis, quemadmodũ & olim & nostro ævo maximæ quæque bibliothecæ sint regum principumq; studiis natæ & conquisitae. Qua in re placet initium nunc facere à latinis antiquis. Isidorus Hispalensis l. 6. originum ita loquitur: *Romæ primus librorum copiam advexit Aemilius Paulus, Perse Macedonum rege devicto: deinde Lucullus è Ponticapræda.* De Lucullo nonnihil aliter Plutarchus, quasi scilicet ære suam paraverit: *Laudanda ejus impensa & studium in libris: nam & multos & eleganter scriptos conquisivit, eosq; ut liberaliter paravit, ita etiam utendos dedit.* Sed utraque narratio facile conciliatur, si dixeris, æs illud quo parata bibliotheca est ex praeda pontica esse acquisitum. Post Lucullum Isidorus statim narrat, quid molitus sit Julius Cæsar: nõ debuit vero præteriri Cæsare prior Sulla. Hunc captis Athenis avexisse inde Romam bibliothecas, non unus memorat. Lucianus adversus indoctum: εἰ ἅπαντα ἐκεῖνα (τὰ βιβλία) κτήσῃ, ὅσα ὁ Σύλλας Ἀθήνηθεν εἰς Ἰταλίαν ἐξέπεμψε, τί ἂν ἐκ τούτου πλέον εἰς παιδείαν κτήσαιο; *Si omnes eos libros habeas, quos Athenis in Italiam avexit Sylla, num ideo eruditior es futurus?* Has inter fuisse & Apelliconis Teji locupletissimam librariam supellectilem, cujus pars erat ipsa Aristotelica, (de cujus amplitudine multa habet etiam Athenaeus l. 5. cap. 13.) luculente narrat Strabo l. 13. & Plutarchus in Panathenaico: qui eleganter τὰ βιβλίων ταμιεῖα fuisse ait μάλα τῶν Ἀθηναίων κόσμον οἰκεῖον. Hi tres igitur construxerunt Romæ bibliothecas ex spoliis. Pergit vero Isidorus: *Primus Romæ bibliothecas publicavit Pollio, græcas simul atq; latinas, additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.* Perquam autem verisimile est, ut atrium ita etiam bibliothecam ipsam ex manubiis conditam. Dio Cassius l. 49. scribit Augustum *ex manubiis Dalmatarum paulo ante subactorum, porticus & bibliothecas, Octavias dictas, exstruxisse.* Ejusdem vero gentis manubiis usum & Asinium Pollionẽ dixeris, quoniam & ille Dalmatas

iatas bello superavit. Templum pacis à Vespasiano esse conructum, Josephus, Tranquillus, Dio, S. Aurelius Victor, & ii referunt. Estq; itidem verisimile, ex manubiis Judaicis l structum esse: utpote cum in ædem illam vasa & donaria :mpli Hierosolymitani sint deposita, ceu prodit S. Hieronyius. Quidni ergo liceat suspicari, ex iisdem manubiis etiam ibliothecam templi illius celeberrimam esse conditam, quã is forte demum à Domitiano? Fuit autem templum hoc quodiano etiam conventu litteratorum nobile: quantum ex vais Galeni locis colligere est: non tamen & ægrotorum, quod ;yraldus credidit, cujus errorẽ docte coarguit Hieronymus fercurialis *l.1. Variar. lectionũ cap. XXIII.* Vlpiam bibliotheam itidem ex manubiis Dacicis prodiisse, haud inerito quis ıspicetur, si ab ipsomet fuerit Trajano condita. At verosiiile saltim jam fecimus, deberi illam potius Hadriano. Hoc :aq; esto incertum. Post hunc vero bibliothecae caussa imeratorum nemo inclaruit. Gordianum duntaxat juniorem, ulio Capitolino teste, bibliotheca, *in qua sexaginta duo millia brorum censebantur, ad cœlum tulit: siquidem tantæ bibliothecæ opia & splendore donatus, in famam hominum ore litteratorum ecore pervenit.* Illius autem structae laus non Gordiano, sed Q. Sammonico Sereno debetur: à cujus filio cognomine ad Gordianum dono pervenit: quem acquirendi titulum nemo nprobaverit. Quinam struxerint bibliothecam illam Contantinopolitanam, amplissimam profecto, quam Basilisco imeratore conflagrasse jam memoravimus, nusquam proditur. Nihil caussae vero est, cur existimemus, esse alios quã eos qui Constantinopoli magnifica illa auditoria ædificavere, habẽdis omnium artiũ liberalium scholis, de quibus alibi disseruimus. mperatores igitur condiderint illam bibliothecam, & quidem um ipsemet maximus (sic enim in nummis pariter & inscriptioibus antiquis est, non vero *Magnus*) Constantinus, tum præ-

 cipue

cipue Theodosius. Ita vero si est, vix equidem dubitaverim, modo christianae doctrinae scripta excipias, bibliothecam istam, saltim parte potissima, ex spoliis templorum gentilium coaluisse. In hisce scilicet passim & libraria suppellex reperiebatur. Constātini vero jussu atq; auspiciis templa illa omnia spoliata, reditus item & donaria illorum impensa in structurā novæ Romæ, simulacra quoq; templis detracta in urbis illius ornatum translata esse, & deniq; templa ipsa Theodosii aevo monachorum praepostero zelo plurimis in locis omnino destructa esse, certissimum est. Lege, amabo, saltim Libanii pro templis gentilium non exscindendis ad Theodosium Magnū orationem, cum doctissimo commentario viri Clar^mi^ Jacobi Gothofredi. Detractas vero etiam Alexandriae ædibus illis bibliothecas per christianos, fatetur diserte Paulus Orosius l.6. c.15. cujus verba & Miscellæ historiae inserta sunt, ut pleraq; Orosii alia, l. 6. c. 37. Cum narrasset enim, quemadmodum Julii Caesaris jussu incensa Alexandrina classe, simul *quadringenta millia librorum proximis forte ædibus condita perierint*, quæ jam tum adduximus, addit: *Hodieq; in templo exsistunt, quæ & nos vidimus, armaria librorum quibus direptis, exinanita ea à nostris hominibus, nostris temporibus, memorant: quod quidem verū est.* Et vero de Constantino refert quidem Eusebius l.3. de ejus vita, illum imperatorios thesauros liberalissime effudisse, in colligendis scribendisq; libris sacris, quos gentiles temporibus persecutionum ab ecclesiis pene excusserant: de liberalitate autē aliqua etiam in alios libros impensa, nec ille nec quis alius habet quidquam. Vt ad antiquissimas porro bibliothecas à Ptolomæis & Attalicis regibus institutas reflectamus oculos: ad Pergamenæ quidē collectionē etiam violenter abreptos interdum libros, haud obscure colligere est ex iis quæ narrat Strabo l. XIII. de Aristotelis bibliotheca, postquam illa per Neleum fuit Scepsin translata: sub terra scilicet defossam,

ne in

ne in regum, libros undique conquirentium, manus incideret. Alexandrinæ unius ſtructura à nemine non ſoli opulentiæ & ſummæ in rem litterariã liberalitati regiæ adſcribi ſolet. Cujus ſane præclarum teſtimonium eſt id quod Galenus narrat: ab Evergeta pro Sophoclis, Euripidis, Aeſchylique tragœdiis αὐτογράφοις oppignorata Athenienſibus quindecim puri argenti talenta, ſed reddita exemplaria nova elegantiſſime exarata, cum pignoratis talentis. Cum periiſſet tamen incendio illa prior Ptolomæorum bibliotheca, in reparationem damni illuc traductam Pergamenam, jam tum audivimus ex Plutarcho. Quo ſimul patet, Paulum Oroſium recte reprehendere Alexãdrinos ſui ævi gentiles, qui à Chriſtianis direptas bibliothecas, reliquias fuiſſe illius per Julii Cæſaris militẽ excitato incendio perditæ retulerant. *Honeſtius creditur*, inquit, *alios libros fuiſſe quæſitos, qui priſtinas ſtudiorum curas æmularentur; quam ullã fuiſſe tunc bibliothecam, quæ extra quadringenta millia librorum fuiſſe, ac per hoc evaſiſſe, credatur.* Cæterum ad noſtrum ævum veniamus. Ad Vaticanæ inſtitutionem à Sixto IVto papa adhibitum illud antiquum librorum compluriũ chaos, jam tum audivimus: perinde atque non ſemel conqueſti ſumus, ex ſpoliis Palatinis Germaniæ noſtræ invidendum ipſi augmentũ acceſſiſſe. Nec vero vel ipſum Sixtum IVtum liberali multum fuiſſe affectu, ad copiam aliquam inſignem librorum ære comparãdam; vel ex eo diſcas, quod prodente Onuphrio, *ut facilius conſervaretur & augeretur bibliotheca, Sixtus ſtrenam centũ aureorum, quam Romanis pontificibus collegium ſcriptorum Apoſtolicarum literarum quotannis dare conſuevit, in perpetuum addixit.* Quæ ſumma ſane eſt exigua, & niſi fallor indigna pontificiis vectigalibus. In eadem Italia quam Veneti oſtentant bibliothecam, donum eſt Cardinalis Beſſarionis: cujus hac de re ad ſenatum Venetum epiſtola reperitur in operis quo literæ multorum principum publicatæ ſunt l. 1. epiſt. 2. In Rocchæ

item libro & philologicis epistolis Goldasti. Etiam Palatina Germaniæ (eheu quondam!) bibliotheca, parte bona si non optima, liberalissimo Hulderici Fuggeri dono accrevit. Recitabo in id verba Jani Gruteri bibliothecarii Palatini longe celeberrimi, quamvis sub nomine I. Gualtherii latitare voluerit. Is igitur l. 2. chronici chronicor. politici, ubi Academias recenset pag. 1257. *Heidelberga*, inquit, *non tantum censetur & optime passim audit ob Academiam & electoris principis aulam: sed etiam ob bibliothecam Palatinam, dedicatam primum ab Ottone Henrico electore, auctam vero egregie sub Friderico IVto, liberalitate Vlrici Fuggeri: adeo ut facile libris mss. hebraicis, græcis, latinis, & quidem potissima sui parte authenticis, omnem provocet Europam.* Idē l. 2. chronici ecclesiastici, recensens obitus præclarorum quorumvis virorum pag. 1306. *Vlricus Fuggerus Raimundi filius, litterarumq; admirator unicus: qui Palatinatui, præter insignem bibliothecam, mille aliquot voluminibus mss. græcis, latinis, hebraicis spectatissimam, quindecim aureorum Rhenensium legavit millia, instruendis quinque studiosis: obiit XIIX. Kal. Julii 1584. ætatis 58. Heidelbergæ.* In eandem sententiam obitum ejus celebrans loquitur Thuanus l. 80. De regia porro Hispanica bibliotheca ita refert Franciscus Schottus l. 2. Itinerarii Italiæ cap. x. *Regiam bibliothecam, quæ in Carpetanis est ad D. Laurentium, Didacus Hurtadus Mendoza, Cæsaris olim apud Venetos Legatus, accepta è media græcia græcorum librorū plena navi, mirifice ornavit.* Thomas Erpenius oratione altera de Lingua Arabica scribit, *regis Maroccani bibliothecam Arabicam, constantem septem mille & octingentis libris, in Hispaniam improbe avectam, & in regis bibliothecam translatam esse.* Non etiam dubito, id quod factum est à Mendoza, non neglectum esse & ab aliis. *Nec* vero vanum fuit illud Cardonæ: *Intellecto animo regis librorum colligendorum, & studio honestissimo reipubl. litterariæ juvandæ, principes multi, & Hispani & exteri, multique etiam homines eruditi,* glorio-

gloriosum putabunt, libros rariores, quos nacti fuerint, ad regem mittere. Mariana testatur, ex omnibus Europæ partibus ad famam novi operis magno numero libros confluxisse. Quod tamen de solis donariis fortassis haud est accipiendum. De Mazariniana bibliotheca gloriatur ipsemet Naudæus in sua pro illa ad Parlamentum Parisiense querela, ad illam ornandam complures reges ac principes universæ Europæ, omnes item legatos regios Gallicanos, qui integro decennio in regiones quasque missi sunt, operam suam liberaliter contulisse. Oxoniensis denique tota, quanta quanta est, ex donariis coaluit. Alias tangere non est pretium operæ.

Ex hisce vero quæ attuli manifestum utique est, illas, quæ regum principumque auspiciis conditæ sunt, bibliothecas saltim plerasque, etsi non omnino, in justam magnitudinem tamen, excrevisse, vel ex spoliis, vel ex manubiis, vel ex donis, vel ex majorum industria collectis. Etiam harum vero bonam partem magnis impendiis non coëmptam, nonnullas quamvis rariores integre nummis comparatas non esse, absit ut persuasum cuiquam velim. Ausim tamen affirmare, privatas bibliothecas, aut à privatæ conditionis viris institutas, multo plures acceptas ferendas solis conditorum impensis nulla vi paratis, quam regias. Hoc vero etiam unice attendi commeretur: quod illi fere regum principumq; demum ex magnis bibliothecis ære partis laudem consequuti hactenus sint, quibus proventus annui immensi, & bona orbis pars vectigalis fuit. Majorem autem laudem mereri, qui ex modicis quam nimiis opibus liberales sunt aut magnifici, non prudentum duntaxat consensu pridem est constitutum, sed confirmatum etiam illa à Christo nostro instituta pauperis viduæ binos obulos in usum sacrum offerentis, invidenda ditioribus laudatione.

Jam vero attende obsecro, generose BOINEBVRGI, rationem illam qua thesaurum hunc librarium regia profecto, si quod

quod aliquod aliud vere magnificum opus, æmulatione princeps meus condidit. Nulla hic spolia: raptus nulli: nullæ manubiæ: à majoribus nihil apparati: dona perquam exigua, reapse igitur itidem nulla. Omnia nummis coëmpta: bona eorum pars, cum vectigalia perquam modica adhuc essent, imo propemodum infra modum. Annus hujus seculi quartus agebatur, cum tanti operis facta sunt initia. Erat is annus serenissimo Duci vitæ sextus vicesimus: quæ ætas voluptatibus aut ludicris intenta plerumque est, rarissime libris congerendis: in principum præsertim ordine, ut ille multo pluribus est obnoxius vitiorum illecebris. Major amplissimi Ducatus Brunsuico-Lyneburgici portio tenebatur ab agnatis. Paternæ hæreditatis potissimum cesserat fratri natu maximo. Nec ulla sese vel eminus ostendebat spes, fore, ut extincta fratris, multo minus agnatorum aliqua domo, (quarum quippe unaquælibet multa sobole mascula instructa pene æternitatem pollicebatur suæ posteritati) in pinguis alicujus provinciæ possessionem princeps Juvenis aliquando succederet. In aulæ sedem acceperat optimus princeps Hitzkerium, ut vulgus contractim loquitur: cui genuinum nomen Hiddesacker (prout etiam Crantzio l. 12. c. 5. Saxoniæ audire, ex principis ad me litteris didici) quasi tu latine Hiddonis agrum appellites. Quæ arx antiquissima quidem reverentia genti meæ Frisiorum sacra, tanquam ab Hiddone fortissimo heröe Frisio primum condita: (qua de re majorum traditionem, quamvis præ vetustatis licentia fabulis corruptam, non sine voluptate fortasse legeris, in Cornelii Kempii historia rer. Frisicar. l. 3. cap. 6.) sequiore tamen tempestate latronum receptaculo fuit profanata: donec pulso illo pessimo hominum genere in partem Ducatus accepta est. Ithacam dixeris Vlyssis nostri (nam & de nostro jam tum juvene potuit cani illud Homericum de Vlysse:

πολλῶν

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω

Multorum mores populorum vidit & urbes:)

quod utramq; antehac obscuram incolatu suo & cultu illustrem principes illi bini reddiderint, nisi illam scopulis asperam hæc amœnitate sua & commoda Jetzæ Albisq; confluente multum superaret. Illa ætate, illa vitæ conditione, illo loco erat princeps, quum opus magnis duntaxat regibus, nec eorũ nisi paucis, tentatum, moliri haud dubitavit, idq; nulla vicinorum quidem regum principumque invitatus æmulatione. Nec vero quisquam viciniæ simile quid vel conatus hactenus fuerat, tametsi in amplissima positus fortuna: nisi quod inter adnatos principes JVLIVS Dux, ut animo regio nostram hanc Juliam condiderat, ita & bibliothecam, quæ nepotis Friderici Vlrici Ducis beneficio deniq; cessit Academiæ, sibi struere incepisset: eo tamen successu, ut quod de Cæsare Julio & Augusto in doctorum monumentis legimus, meritò dicendum de nostris veniat, JVLIVM bibliothecam *destinasse*, AVGVSTVM *perfecisse*. Cæterum non magno magis animo princeps quam prudente consilio rem aggressus est. Itaq; non ex Germania duntaxat nostra universa, sed Gallia, Italia, Hispania, Britannia, Belgio, quicquid melioris notæ librorum accipi potuit, magnis impensis, quantũ annui proventus patiebantur, ab illo usq; statim laudato anno, fecit conquiri & comparari. Commodum scilicet omnes illas terras, in Siciliam & Melitam usq; progressus, lustraverat jam tum summo studio inusitatæ indolis princeps, conciliaratq; sibi cum literatissimis quibusque ut & aliis librariæ rei amatoribus, annos aliquot, propiorem familiaritatem: quorum proinde opera, passim terrarum, cumprimis, in Italia quidem Romæ, Neapoli, Venetiis ac Florentiæ, in Gallia Lutetiæ Parisiorum, in Anglia Londini & Oxonii, (ut Belgii, & Germaniæ loca celebriora nunc taceã) in coëmendis libris optimis, feliciter usus est. Magnum

gnum vero operi incrementum accessit ex Germania nostra, locupletissimis tribꝰ comparatis bibliothecis, Marquardi Freheri, Curionum patris ac filii, Cælii inquam & Cælii Augustini, ut & Joachimi Clutenii, qui cum viveret principi simul fuit à consiliis salario satis optimo. Vt enim hi fuere in omni literarum genere versatissimi, laudemque nominis æternam sibi peperere plurimis ingenii editis monumētis, ita & instructissimam in studiorum usum supellectilem librariam quilibet instruxerat. Quæ omnes ab heredibus eorum amplissimis impendiis comparatæ, nunc AVGVSTAE partem, quamvis hodie perexiguam, constituunt. Nec vero ullo tempore urgere suum hoc opus desiit princeps, sed quamcunque datam occasionem non passus elabi, jam in annum usq; à primordio cœpti operis quinquagesimum septimum, undequaq; congestis perpetuis accessionibus, immane quantū thesaurū istum instruit atque locupletat. Enimvero ne ingentes quidē illæ calamitates bellicæ, quæ ruinam universæ Germaniæ, & propemodū ipsimet serenissimæ Ducum familiae interitū, annos complures minitabantur, restinguere illum ardorē, imo ne minuere quidem, valuerunt. Ex quo pax rediit, atque à morte Friderici Vlrici Ducis ut & fratris Julii Ernesti, amplissimarum magni hujus ducatus Brunsuico-Lyneburgici partium possessionem felicissimus princeps nactus est, creveruntq; adeo plurimum annua vectigalia, etiam solito plus bibliothecæ impensum est. Summam factorum in bibliothecā sumptuum dicere nequeo: ignorat illam princeps ipsemet, quod in tabulas expensarum referri seorsim talia haud curaverit. Prudenter profecto: nec enim fas est numerare quae in res sacras (cujusmodi est bibliotheca quævis regia) impēduntur: ne rescicat sinistra id quod dextera liberaliter contulit. Et vero in emendis quoq; libris ea fuit religione princeps, ut cum Parlamenti Parisiensis decreto illa eminentissimi cardinalis Mazarini omnium optima biblio-

bibliotheca vili pretio distraheretur, quamvis essent quae multum desideraret, vetuerit tamen princeps quidpiam ejus sibi emi: ne quid ex illa in omne ævum haud temere excusanda venditione, quam boni publici amore aversabatur, quid adveniens sacra AVGVSTAE suae contaminaret. Quam generosam pietatem pristinae post felicitati redditus cardinalis actis gratiis & agnovit & miratus est. Sed de tertio bibliothecae AVGVSTAE admirando fortasse satis est actum.

Propius nunc ad ipsam bibliothecam est accedendum: quae hactenus enim admiratus mecum es, illustris BOINEBVRGI quasi extra illam sunt, atque ad illud causae genus, quam effectricem appellamus, tantummodo pertinēt. Præbet autem ipsamet bibliotheca non minus multa admiranda: in librorum numero, in bonitate, in dispositione, & in loco idoneo. Et vero in hisce quatuor potissimum (addi enim & quintum debet, aptitudo scilicet utendi) cujuslibet bibliothecæ perfectio consistit. Quorum proinde artificiosam rationem indubie ostendit Aristoteles si, quod Strabo testatur, non tantum congregavit libros multos primus, sed etiam Aegypti reges docuit βιβλιοθήκης σύνταξιν. Etiam hæc itaque bibliothecæ AVGVSTAE admiranda mecum, sodes, expende: initio à librorum facto ingente numero.

Antequam vero id agamus, non arbitror necessum esse, uti tequidē muniam adversum Senecæ sententias; qui immensam omnem librorum multitudinē ceu vitio laborantem traducit. *Distrahit*, ait epistola 2, *animum librorum multitudo: itaq; cum legere non possis quantum habueris, sat est habere quantum legas.* Libro de Tranquillitate animi cap. 9: *Quo*, scribit, *mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quorum dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba non instruit: multoq; satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos.* Item *Paretur librorum quantum satis sit, nihil in apparatum. Honestius*, Bibl. Augustæ Admirandum VI.

inquis, in has impensas, quam in Corinthia pictasq; tabulas effuderim. Vitiosum est ubique quod nimium est. Quid est, cur minus ignoscas nomen marmore atq; ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent tituliq;? Non censeo, inquam, Te quidem hisce moveri. Id enim damus quidem Senecæ, non in ostentationem sed usum libros esse comparandos: at neutiquam recte hinc colligitur, paucos duntaxat comparandos esse. Non una nempe est usus illius ratio sed diversa ac multiplex. Privatus ali' est usus, alius publicus ac communis. Adhoc, quemadmodum rerum familiarium, aliæ ad necessitatem requiruntur, aliæ ad utilitatem, aliæ ad elegantiam, pertinetq; ad felicitatem patrisfamilias nullo horum carere: ita etiam librorũ alii sunt necessarii, alii utiles, alii ornatum præbent: Illa vero bibliotheca demum vere suo in ordine perfecta est, quæ triplici illo est librorum genere instructa. Pro vario itaque illo usu, numerum quoque librorum diversum esse oportet. Et verò nec privato cuique idem numerus convenit, sed alius atque alius pro ingenii & studiorum diversitate. De Aristotele refert Strabo, illum primum, quod sciat, libros coëgisse, hoc est majorem sibi vim librorum comparasse. Recte sane: Primus enim mortalium, in græcia saltim, per omne doctrinæ genus diffudit ingenium, interq; alia primus *fere omnium non græciæ solum sed etiam Barbariæ civitatum mores, instituta, disciplinas* scripto tradidit posteritati: id quod fieri non potuit sine monumentorum locupletiore quodam penu. Si quis Aristoteli dispar idem conetur privatos quidem in usus, merito is ludibrium debeat sapientibus: certe prudenti cuique ac frugali patrifamilias, quem ex Catonis præcepto, *non oportet emacem esse*, ne quidem φιλόκαλον *ad emacitatis reprehensionem*, quod in Silio Italico notavit Plinius l. 3. ep. 7. Satis est, si cui tali, pro studiorum & fortunæ modulo, ut Poëta canit:

Sit

Sit bona librorum & provisæ frugis in annum
Copia.

Absit profecto, ut ineptulos nonnullos imitantes, multitudine librorum coëmpta docti viri titulum exspectemus, aceto poëtico ab Ausonio quodam defricandi, perinde atque ille exceptus est, in quem lusit epigrammate:

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est
Magnum & grammaticum te Philomuse putas
Hoc genere & chordas, & plectra & barbita conde:
Omnia mercatus cras citharœdus eris.

aut vero exagitandi ab aliquo Scioppio: cujus in quosdam peritos Juris mordacissimos sales indubie legisti *consultatione altera de studiorum ratione.* Aut deniq; acriter increpandi singulari libello à Luciano quodam, cujus in medio hodieq; est opusculum mordax πρὸς ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον. Sed redeo ad Senecam. Fateor & ego, vitiosum esse librorum parere nimium: aut parare librorum copiam in parietum ornamentū: aut vagari per libros multos si possis ex paucis tantundem vel etiam plus accipere commodi. At vero non quævis magna vis librorum semper est nimia: nec semper licet ex paucis æque multum fructus atq; ex multis consequi. Alteri nimiū est quod alteri parum. Quædā studia sine multiplici lectione atq; adeo copiosa bibliotheca exerceri non possunt. Non sane (ut ex nostro ævo nihil adferā) Athenæus sua δειπνοσοφιστικὰ dedisset nobis nisi habuisset ad manus illam Laurentii sui bibliothecam: non Plinius naturalem historiam, absq; fuissent bibliothecæ Romanæ: non Clemens Alexandrinus στρωματέων libros, nisi vixisset Alexandriæ; non Eusebius præclara adeo multijugæ lectionis volumina, nisi Pamphilus Cæsenæ & Alexander Hierosolymis eam vim omnis generis librorū coëgissent. Ipse Seneca, *ignoscerem*, inquit, *si è studiorum nimia cupidine oriretur.* Quidni vero inde etiam nascatur alicubi librorum

parandorum desiderium? Imo inde nascitur inter eos qui sapiunt. Pro regum principumque immensis bibliothecis alius attulerit etiam, ille ait apud Tacitum: *cæteris mortalibus in eo stare consilia quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus omnia ad famam dirigenda.* Mihi non probatur talia in excusationem adferre. Ostentatio mera librorum semper in vitio est. At vero bibliothecæ illæ regiæ merentur laudem, quoniam sunt idoneæ ad id ut omnis generis doctrinæ inserviant. Sunt nimirum quasi publica eruditionis universæ penuaria: qualia parare cum non sit perinde privatorum, si reges principesque curam illam suam faciant, magnis sane beneficiis sapientiæ studia exornant.

Verum quid hisce immoramur? Quin potius Tibi, illustris BOINEBVRGI, ego ostendo illud, quod bibliotheca AVGVSTA inter ea, quæ sibi sunt quasi essentialia Admiranda, merito habet primum, in librorum multitudine nempe collocatum: quod tamen reliquis annumeratum possis quartum appellare. Heic vero nolo equidem dissimulare, videri stupenda referri in monumentis antiquis, de numero librorum, in bibliothecis quibusdam illius ævi græcis ac latinis reperto. Sunt autem illa accurate expedienda, ut eo rectius constet Admirandi illius quod jam tangimus certa ratio. Quamvis vero de paucis bibliothecis veterum memoretur, quo illæ librorum numero fuerint refertæ, observare tamen est, & publicas pariter & privatas nonnullas à multitudine librorum plurimũ laudatas. Inter publicas prima omnium non dignitate minus quã ætate fuit Alexandrina Ptolomæorum regum. De numero autem librorum bibliothecæ illius non idem ab omnibus traditur. Georgius Cedrenus l. 22. scribit: *Philadelphus libros sacros Chaldaicos, Aegyptios, & Romanos, aliosq; diversilingues in græcam omnes converti curavit; in universum ad centum millia voluminum; quæ omnia in bibliothecis suis Alexandriæ reposuit.*

Ast

Ast hunc numerum Cedrenus forte non voluit esse universæ bibliothecæ, qui sensus solet ipsi adscribi, sed tantum eorum, quæ ex aliis linguis in græcam fuerunt translata. Sed & in universum Cedreni narrationes pleræque parum fidei merentur. Et vero cui persuadeat, Philadelphi ætate ex latina lingua libros græce fuisse versos, cum nulli fortassis fuerint isthac lingua tum conscripti? Josephus l. XII. ἀρχαιολογίας cap. 2. narrat: Demetrium Phaleræũ à Philadelpho rogatum aliquando, quã multa millia librorum jam comparasset, respondisse: τῶν μὲν ὑπαρχόντων εἶναι περὶ εἴκοσι, ὀλίγῳ δὲ χρόνῳ εἰς πεντήκοντα συναθροίσειν. Fuerint itaque minimum in bibliotheca illa libri ducenties mille. Jam tum porro recitavi illa Senecæ: *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt:* ut & Pauli Orosii in eundem numerum consentiens testimonium. Gellii l. 6. cap. ultimo verba sunt: *Ingens numerus librorum in Aegypto à Ptolomæis regibus vel conquisitus vel confectus est, ad millia ferme voluminum septingenta.* Ammianum Marcellinum citra omnem detractionẽ, provocatione facta *ad concinentem*, ut loquitur, *fidem monumentorum veterum* simpliciter scribere, *septingenta voluminum millia, à Ptolomæis regibus vigiliis intentis esse composita*, itidem jam monui. Estque per verosimile, in Isidoro, ubi legitur vulgo: *Septuaginta millia librorum hujus* (Philadelphi scilicet) *temporibus Alexandriæ inventa sunt:* reponendum *septingenta.* De Pergamenæ bibliothecæ librorũ numero, quæ & fama & dignitate olim Alexandrinæ æmula, & proinde inter publicas veteris ævi jure secundo loco venit numeranda, unus Plutarchus aliquid certi perhibet in vita M. Antonii. Hunc scilicet amoribus Cleopatræ dementatum petenti huic χαρίσασθαι τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν, *gratificatum bibliothecas ex Pergamo, in quibus erant ducenta millia singularium librorum.* De Romana publica nulla memoratur, quam fuerit numerosa; nisi publica facta sit illa à Sereno Sammonico

monico donata imperatori Gordiano minori. In illa vero *sexaginta duo millia librorum censebantur*, teste Lampridio. Ignoratur quoque numerus librorum, qui fuere quondam in bibliothecis Constantinopolitanis aliisq; : nisi quod à Zonara sit proditum, in illa quæ Basilisco aut Zenone imperante conflagravit, *centum viginti millia librorum fuisse recondita.* Privatas quod attinet, constat sane cum alibi passim, tum Romæ præsertim, imo & in villis Romanorum, excitata à Julii Cæsaris ævo aliorum æmulatione, fuisse propemodum innumeras, easque ab omni librorum supellectile largissime instructas. Ex Senecæ jam tum adductis verbis liquet utique, isthac tempestate, *inter balnearia & thermas bibliothecam quoque ut necessarium domus instrumentum expoliri* solitam, & quidem *tecto tenus exstructis loculamentis.* In privatas quoq; sui ævi bibliothecas videtur vibrasse illud: *Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quorũ dominus vix tota vita sua indices perlegit?* quodq; idem ait, *oscitare* nonnullos *inter tot millia librorum.* Fuisse vero & in villis instructissimas bibliothecas vetat dubitare saltem illud Martialis l. VII.

Ruris bibliotheca delicati
Vicinam videt unde lector urbem.

At vero jam tum ante, Luculli in Tusculano bibliotheca, in disputatione *de Finibus* à Tullio erat celebrata. Qui epist. 9. libri IVti ad Atticum scribit, in Pompejano prope Puteolos se pasci bibliotheca Fausti. Silio quoq; Italico passim in villis fuisse copiosas bibliothecas, refert loco ante laudato Plinius. Ab aliis aliæ memorantur. Non tamen proditus est privatæ alicujus librorum numerus, si excipias duorum grammaticorum, Tyrannionis Pompejo & Lucullo æqualis, ut qui bello Mithridatico à Lucullo captus ac Romam missus, & Epaphroditi; qui à Neronis ævo usque in Nervam superstes forte fuit ille Mettius Epaphroditus, cujus imago marmorea hodieque Romæ

Romæ visitur, relata hinc in opus illustrium Imaginum à Fulvio Vrsino., & cum jam ante tum & Gallæo ære expressa n. XCI. De illo enim Suidas: διαπρεπὴς δὲ γενόμενος ἐν ῥώμῃ καὶ πλούσιος, ἐκτήσατο καὶ βιβλία ὑπὲρ τὰς τρεῖς μυριάδας. De hoc idem: ὠνούμενος δὲ ἀεὶ βιβλία ἐκτήσατο μυριάδας τρεῖς, τούτων δὲ σπουδαίων καὶ ἀνακεχωρηκότων. Longo autem intervallo tres illas myriades superaverit necessum est Laurentii illius δειπνοσοφιστῶν convivatoris bibliotheca, si quidem Athenæi laudationibus credendum est; Qui libro primo refert: ἦν δὲ καὶ βιβλίων κτῆσις αὐτῷ ἀρχαίων, ἑλληνικῶν τε τοσαύτη, ὡς ὑπερβάλλειν πάντας τοὺς ἐπὶ συναγωγῇ τεθαυμασμένους: quos inter non dubitavit numerare & ipsos Pergami reges. Sed fortassis hæc quidem laudatio excedit modum. Magis fidem meretur, quod de beato Pamphilo martyre & presbytero Cæsariense scribit Hieronymus epistola ad Marcell. 141. *Demetrium Phalereum & Pisistratum in sacro bibliothecæ studio æquare voluisse.* Hujus sane bibliothecæ condendæ studium insigne, & felices in illa opera progressus, prædicavit olim mirifice Eusebius; non dissimulans, ex illa ut & Hierosolymitana bibliotheca ab Alexandro episcopo congesta, cujus meminit l. 6. cap. 16. scribendæ ecclesiasticæ historiæ materiam sibi præbitam. Quemadmodum & Pamphilo illi summa fuit amicitiæ junctus necessitudine, *ab eoq; cognomentum sortitus est*, ipsemet etiam *bibliothecæ divinæ diligentissimus pervestigator*, ut Hieronymus loquitur. Quamvis vero Pamphilus omnes christianos, ipsosq; locupletissimos episcopos, qui illa tempestate bibliothecis struendis operam dedere, longe superaverit, numerum tamen collectorum librorum nemo veterum memoravit. Imo nec alterius alicujus bibliothecæ, ex illo ævo magnitudinem narratam reperire est, præter eas quarum meminimus.

Non tamen vel sic fortasse certi esse possumus de cujusquam illarum bibliothecarum veterum copia. In causa videtur

tur esse ambigua significatio vocabulorum βιβλίε *libri* & *voluminis*. Vtrum scilicet notent per se (seu, ut ita loquar) subsistens atq; ab aliis distinctum quid, nec ne: quænam item olim fuerit quantitas aut moles per sese subsistentium. Enimvero hodie quidem *liber* promiscue audit etiam codex aliquis grandis per sese subsistens, & pars aliqua ejus interdũ haud magna. *Volumen* vero solet audire non nisi quivis spissior grandiorque codex. Si libri itaque & voluminis vocabulo nonnisi majores codices fuerint intelligendi, stupenda profecto fuerit moles veterum bibliothecarum, Alexandrinæ cumprimis & Pergamenæ. At vero non equidem crediderim, apud veteres sive *librum* sive *volumen* grandem aliquem codicem, prout fit hodie, significasse. Quoniam tamen promiscue accipi olim solitæ voces *libri* & *voluminis*, perquam fit verosimile, olim librũ quemvis & volumen quodvis fuisse seorsim quid ac per sese subsistens, quamvis mole exiguum. *Voluminis* sane vox videtur utiq; palam signare, aliquid separatim subsistens sive convolutum. Solet autem accipi etiam de exiguis libellis. Sic Tullius quemvis libellum Tusculanarum quæstionum volumen appellans 3. Tusculanar. 6. scribit: *Quoniam duobus superioribus de morte & dolore dictum est, tertius dies disputationis hoc tertium volumen efficiet.* Auctor item rhetoricorum ad Herennium l. 1. cap. 27: *Quoniam satis hujus voluminis magnitudo crevit, in altero libro exponemus.* Eadem ratione aliquot seculis post locutus est & S. Hieronymus passim. Nec vero ille dubitavit libellum de ecclesiasticis scriptoribus, mole utique pusillum, volumen nuncupare: *si qui*, inquiens, *à me in hoc volumine prætermissi sunt*. Imo nulli scriptorum omnis illius ævi, alio sensu voce illa solent uti. Ch. Gerson cap. XI. pag. 79. ex Talmude Babha Mezia docet olim omnes libros in voluminibus scriptos. Voluminis vocabulo aliquoties audit parvus indubie libellus, quẽ Baruch ex ore Jeremiæ notaverat:

nec tamen fuisse forma voluminis scriptum, sed nostra, paginis sive foliis distinctum, liquet ex cap.36.℣.23. Sed & LXX. p.2. & 25. indicant charta scriptum non membrana. Sic Codex Justinianeus, forte unum volumen fuit. Thora Mosaicum efficit volumẽ unum. Videndũ etiam quot codicibus constent pandectæ Florentinæ. Ex historia evangelica haud obscure liquet, prophetam Esaiam Christo in synagoga porrectum fuisse singularem libellum, volumini inscriptum. Cum legimus itaque, illustris BOINEBURGI, numeratas in græcis latinisque veterum bibliothecis triginta, imo quadringenta aut sexcenta millia librorum, non est quod juxta morem nostri seculi totidẽ grandes codices animo numeremus. Libri nimirũ & volumina fuerunt; quorum hodie centena aliquot unus grandior noster codex complectitur. De talibus proinde etiam accipio illa Plutarchi ἁπλᾶ βιβλία: non autem cum Lipsio de voluminibus ex multis libris coalitis. Nec vero est quod videatur forte minus verosimile, olim singulos libellos distinctis voluminibus constitisse. Scripti scilicet fuere tunc libri omnes, & quidem charactere literarum non illo parvo, quo scribimus, sed illo majore quem capitalem hodie appellitant, ceu etiamnum apparet ex superstitibus antiquissimis quibusque manuscriptis: cujus generis Chrysostomi aliquot homilias Academica nostra Julia bibliotheca potest tibi exhibere; nec illa fuit chartæ aut membranarum olim, quæ hodie artificiosa ratio. Quod sane multi libri in unum volumen recepti sunt, id sequiore demum ævo videtur cœpisse, mutata scribendi pariter & chartæ membranæque veteri conditione. Nisi forte jam etiam ante minutiora opuscula aliquot jungi cœperint. Quo forte respexerit Plutarchus scribens Pergami fuisse ducẽties mille ἁπλᾶ βιβλία: cum alia scilicet fuerint composita volumina. Dixeris forte, perire hac mea interpretatione gloriam veterum bibliothecarum: & tamen non dubitasse Sene-

cam quadringenta millia librorum Alexandrinæ bibliothecæ appellare, *pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* At vero exigui etiam libelli cariſſimo tum præ ſumma raritate, conſtabant. Platonem ſane unum libellum Philolai quadraginta minis Alexandrinis, & Ariſtotelem Speuſippi ſcripta talentis triginta mercatū, à Diogene Laërtio memoratur. Quindecim argenti puri talentis αὐτόγραφα Sophoclis, Euripidis, Aeſchyli empta Ptolomæo Evergetæ, jam tum narravi ex Galeno. Quanta vis pecuniæ impenſa ſit à Philadelpho curandis ſacræ ſcripturæ voluminibus, non ſine admiratione legas in Joſepho. Hodie librorum multo vilius pretium & frequentiam debemus inuſitato olim typographicæ artis beneficio.

In facili jam fuerit nobis, BOINEBVRGI, comparationem inſtituere veteris illius ævi bibliothecarum & noſtræ AVGVSTAE. Sed ante id quam agamus, dicendum præterea aliquid etiam eſt, de copia librorum, qua ſequentium temporum bibliothecæ nonnullæ inclaruerunt. Et vero, quod fortaſſe mireris, etiam extra orbem Europæum, apud populos plane alios, cum inter græcos latinosque melior quæque eruditio extincta pene fuit, copia librorum inſtructæ ſunt bibliothecæ. Refert ſane Thomas Erpenius oratione altera, quam de lingua Arabica conſcripſit, hodie quoque per Aſiam, cumprimis per Africam, non uno loco locupletiſſimas reperiri bibliothecas. *Perhibent*, inquit, *teſtes oculati & fide digniſſimi, in una bibliotheca Feſſana triginta duo reperiri diverſorum librorum millia. Scripſit quoq; Conſtantinopoli D. Hagha illuſtriſſimorum ordinum noſtrorum apud imperatorem Turcicum Legatus, duas eſſe ibidem bibliothecas Arabicas, quarum ſingulæ æſtimantur centum ducatorum millibus: id eſt, ut loquimur, quatuor auri tonnis: unam autem quæ quadringentis æſtimatur ducatorum millibus, id eſt ſedecim tonnis auri. Cari quidem iis in locis ſunt libri fateor, utpote manu exarati, & in charta fere ſerica*

quæ

quæ magno quoq; constat; sed non ita tamen, quin tanti pretii summa ingentem quoq; codicum multitudinem requirat. Hæc omnia Erpenius. Quibus non possum non Tibi addere, quæ Petrus Gassendus l. 5. Historiæ Peirescianæ de libris Copticis Aegypti refert. *Peirescio*, ait, *retulit Aegidius Rochiensis Capuccinus, ex Aegypto redux, codices manuscriptos in cœnobiis variis exstare: visam sibi bibliothecam octies mille voluminum, quorum pars non exigua præ se ferret ævi Antoniniani notas.* Chaldaicæ quoque linguæ complures hodieq; libros reperiri, intelligo: & quidem eorum catalogum post illum ab Hebudjesu confectum Abrahamus Ecchelensis dedit: ut alii jactant copias Abyssinorum. Non invenio tamen memorari earum gentium bibliothecas illustriores, quæ librorum numero mereantur in comparationem adduci. Perinde atq; hodie nullam ejus generis habet universa Græcia, ex quo Turcæ serviit.

Vt ad Europæ vero illum, qui nunc obtinet, statum veniamus, quælibet fere ejus pars opulentis bibliothecis abundat quidē, etiam hujus Saxoniæ cum serenissima Holsatica familiarum præcipuis urbibus, imo & nobilissimo Alvenslebiorum genere, quondam & Henrico Ranzovio, viro generosæ suæ familiæ & doctissimo & maximo, in illud studium incumbentibus, numerum tamē librorum nullius fere bibliothecæ scripto proditum hactenus quidem invenimus. Aldum vero Manutium juniorē octoginta millia librorum Pisanæ Academiæ legasse, cum ab aliis memoratur, tum etiam à Francisco Schotto itinerarii Italiæ l. 2. cap. 10. Quæ copia in primis est memoranda: nec privati tamen patrisfamilias, nec hominis parum diffusæ doctrinæ conditioni conveniens. Quæ res in memoriam revocat, quod de bono isto Aldo refert Janus Nicius elegantissimæ suæ bibliothecæ parte prima. *Aldus*, scribit, *reliquum familiæ Manutiæ Sixto Vto pontifice Romam venit, adeo modicis facultatibus, ut illi necessum fuerit aliquot centum aureo-*

rum fœnori sumere, & quod est gravissimum, usura centesima, quæ pro vectura bibliothecæ suæ solveret, quam Venetiis usq; advehendam asportandamq; curaverat. Quo ex ære alieno, tam justam ob causam facto, vix unquam liberari potuit. Porro & de Bavarica Monachiensi bibliotheca, jam tum proxime antegressi christiani seculi anno nonagesimo quinto, in parvo Vrbium Theatro, hæc tradidit Adrianus Romanus: *Aliud ædificium novum, ut novo castro majorem splendorem commoditatemq; adferat, juxta interiorem hortum, quem variæ variarum elegantiarum delicia exornant constructum; cui vicina bibliotheca est undecim circiter millibus voluminū, quorum non exigua pars diversarum linguarum manuscripti sunt, seorsim & scitissime compactorum refertissima, theatro peramplo & amœno distincta.* De Mazariniana præterea bibliotheca in Querela sua refert Naudæus, volumina illam quadragies mille amplius comprehendere. Aliarum omnium nostri ævi bibliothecarum magnitudinem definitā fateor me ignorare. Nec tamen ego dubito, saltim eas, quæ præcipua hodie sunt fama, in Italia Vaticanam, Florentinam, Mediceam & Ambrosianam Mediolanensem, in Gallia regiam Seguieriam & Thuanam, in Hispania Scoriacensem regiam & Complutensem, in Anglia Oxoniensem & Westmonasteriensem regiam, aliasque nonnullas, omnis generis librorum supellectile usque adeo abunde esse instructas, ut multitudinem suam librorum merito queant jactitare. De bibliotheca Bodleiana Oxoniensi vide Casaubonum epistola 741. & 744. Mihi vero nihil de his fas est definire, in illo silentio eorum, quibus cum hæc sint comperta, ab iis etiam memorari & potuere & debuere.

In hunc modum itaque sese habet magnitudo bibliothecarum omnis ævi, quantum equidem certa fide explorare hactenus licuit. Accipe nunc, vir illustris, & magnitudinem

AVGV-

AVGVSTAE noſtræ, eamque mecum contende cum amplitudine aliarum. Referam igitur ſeorſim librorum, ſeorſim voluminum multitudinem. Ne quis vero rurſum error oriatur ex varia vocum acceptione, *libros* appellabo, non ea qua veteres ſignificatione, ſed omnia quæ ſive ſcribentium ſive τῶν τυπογράφων cura ita ſtructa ſunt, ut modo ita velint οἱ βιβλιοπηγοὶ ſeparatim poſſint ſubſiſtere. Quo utique fit, ut talis aliquis liber interdum centũ amplius libros primæ ſignificationis ſinu ſuo comprehendat. *Volumen* mihi dicitur, omnis ejus generis liber, qui reapſe diſtinctus ſubſiſtit. Quorum bona pars libros modo etiam adductæ ſignificationis complures itidem complectitur. Jam vero teſtor tibi bona fide, id quod initio epiſtolæ jam tum dixi, reperiri in AVGVSTA, iſthac vocum acceptione, librorum quidem centena ſedecim millia, volumina autem quaſi viceſies octies mille. Apparebit idipſum luculentiſſime ex indiculo, quem ſeorſim mitto. Et tamẽ iſthæc omnia nõ deſinunt quotidianis pene additamentis creſcere. Nego proinde, ſaltim ullam veteris ævi ſive græcam ſive latinam bibliothecam, cum AVGVSTA vel contendere merito poſſe de magnitudine; tantum abeſt ut earum ulla hanc vel æquaverit vel ſuperaverit. Nempe audiviſti quidem alias triginta, alias ſexaginta duo, alias centum viginti, Attalicam ducenta, omnium locupletiſſimam Alexandrinam vel quadringenta vel ſexcenta millia librorũ numeraſſe: ſimul vero percepiſti, numeraſſe libros, non eo quo abs me factum, ſed alio longe ſenſu. Illa autem acceptione, auſim pene profiteri, exhibere AVGVSTAM poſſe, non ſexcenta ſed vel centies ſexcenta librorum millia. Quantã librorum multitudinem, Ptolomæorum quidem regum temporibus, nuſquam terrarum vel ſparſim reperire fuit. Nec vero vel tantum librorum illo omni ævo ſcriptum fuit, quantum proximo centum annorum ſpacio, induſtria noſtræ ætatis hominum, in lucem

prodiit;

prodiit: ſi, quod res eſt fateri velimus, non autem inepto quodam cultu ſola vetera admirari. Si tam magno autem intervallo ſuperat AVGVSTA, illas veteris ævi à magnitudine celebratiſſimas bibliothecas, quanto dixeris ſuperatas illas reliquas? Nec vero dubito, illas longe aliis iſtis, quarum libros in admirationem numerarunt nobis priſca monumenta, fuiſſe minores. Nos ſane librorum numerum non minus etiam de hiſce accepiſſemus, ſi non inferior multum fuiſſet illo quem diſerte expreſſum veteres laudaverunt: non parci ſcilicet, quæ ad gloriam eorum faciunt rerum ſuarum, præcones. Romanas utiq; bibliothecas non perinde amplas fuiſſe, colligas fortaſſis haud male vel inde; quod ex Aſinii Pollionis inſtituto ſtatuis ſimul & imaginibus, *quorum immortales animæ* (Plinii verba recito) *in iisdem locis loquebantur* repletæ fuerint: quo ſpacium libris reponendis dicatum non potuit non reddi perangustũ. Sed non eſt, quod cum hiſce quidem bibliothecis AVGVSTAM comparemus, cum usque adeo longe vincat ipſam illam, qua omne vetus ævum nihil majus habuit, Ptolomæorum regum Alexandrinam.

Si vera ſunt quæ de Feſſana aliisq; Arabicæ linguæ bibliothecis referuntur, illis forte palmam tribueris ob voluminum multitudinem. Aſt vero, ſolent Arabica quævis volumina magnitudinis eſſe exiguæ: ex adverſo AVGVSTAE noſtræ ſpiſſa ſunt plurima: atque adeo reapſe librorum numero etiam Arabica iſthæc longo poſt ſeſe intervallo relinquunt. Trium illarum noſtri ævi & orbis bibliothecarum, quarum magnitudinem expreſſi, Bavarica quidem quum longe itidem ſuperetur ab AVGVSTA, non etiam eſt quare in comparationem adducatur. Tacebo, quod, ſi Dreſſero credimus, numerus librorum bibliothecæ illius quatuor millia non excedat. Sed & altera illa Manutiana, non volumina octuagies mille ſed duntaxat tot numero libros comprehendit; atque ita totis

viginti

viginti millibus librorum est infra AVGVSTAM. Mazarinianæ tamen fateor cessit AVGVSTA. Cessit inquam: non tamen cedit etiamnum, quantum intelligo, postquã inconsulta venditione plurimum illi detractum est. Vtq; etiamnũ cederet, digna tamen esset AVGVSTA admiratione, quippe quæ non nisi uni potuerit in universo hoc orbe succumbere. Quãvis nimirum aliarum nostri ævi maxime illustrium bibliothecarũ magnitudo definita, ceu ante dixi, me lateat, non dubito tamen, etiam illis AVGVSTAM nostram amplitudine antecellere: idque duobus adductus argumentis, quæ neminem fallunt. Prius est, quod nullius illarum spaciosum adeo sit domicilium atq; est AVGVSTAE, utpote quod ea parte ipsammet etiã Scoriacensem, cujus omnium amplissima ædes creditur, haud parum vincat: quod paulo post tibi approbabo. Alterum, quod & Vaticana pariter & Scoriacensis (ne de aliis nunc dicam) picturis & inscriptionibus multis parietes suos pene occupaverint: quos libris refertos habet AVGVSTA. Legisti, arbitror, quo bibliotheca Vaticana descripta est ab Angelo Roccha volumen. Quam ibi multæ imagines & inscriptiones memorantur! Audies vero non multo post, similia plurima ostentare & Scoriacensem. Fere nihil autem horum AVGVSTA habet: non certe loco libris reponendis idoneo. Quin itaq; etiam hæc quarta palma AVGVSTAE debeatur, nec tu quidem, BOINEBVRGI, imposterum dubitabis.

Nisi vehementer vero fallor, bonitate quoque librorum superat AVGVSTA, saltim plerasque nostri ævi quamvis celeberrimas. Vtque non omnes superet, æquat tamen etiam optimas; certe nulli earum temere cedit: id quod satis est parandæ admirationi, atque adeo dignum quo nomine quintum quoque admirandnm AVGVSTAE numeremus. Bibl. Augustæ Admirandum V.

Heic vero non possum non ante omnia monere, caveas tibi ab errore, quo etiam doctissimos viros teneri video, circa

bonitatis bibliothecariæ justam æstimationē. Deprehendere nimirum est, persuasum quammultis eorum, virtutem dotemque bonæ bibliothecæ unice consistere in antiquorum manuscriptorum majore quovis numero. Inter ea autem, ab aliis sola Græca & Latina; ab aliis, recentiore instituto, quæ orientalibus ita appellatis linguis, Hebraica scilicet, Chaldaica, Arabica, Persica, Copthica, Aethiopica & similibus sunt composita, commendari. Non est autem difficile errorem hunc convellere, si justum bibliothecæ cujusq; regiæ sive maximæ scopū expenderis: ut oportet sane omnia ex usu suo æstimare. Est nimirum bibliothecarum ejusmodi scopus, (is certe debet esse) ut possint omnigenæ doctrinæ atq; sapientiæ studiis prompte offerre, vel omne vel saltim potissimum quod à doctorum ingeniis hactenus est elaboratum. Quod hactenus est, inquam, elaboratum. Id scilicet requiritur ad perfectum studiorum cōmodum: quem ultimum merito dixeris bibliothecarum ejus generis & verissimum finem. Jam vero nemo utiq; temere crediderit, in solis manuscriptis istis omnem sapientiam haberi. Imo nemo paulum æquior & rerum peritior non fatebitur, multo maximam partem eorum, quæ sciri interest mortalium, post illa dudum exarata, à sequentium temporum, cumprimis hosce intra ducentos annos, præstantissimi ingenii viris compluribus, orbi productam esse. Aut imperitus recentis ævi certe est aut invidia improbus,

Qui redit ad fastos & virtutem æstimat annis,
Miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.
Quisquis item, *nisi quæ terris semota suisque*
Temporibus defuncta videt, fastidit & odit.

ut Horatiana illa liceat mea nunc facere. Igitur in solis quidem manuscriptis illis codicibus non sane perfectio bibliothecæ cujuslibet eximiæ collocata est. Ne potior quidē pars perfectionis in iis est sita, quoniam potior studiorum usus ab iis

peti

peti non potest. Ad hoc magna quidem doctrinæ omnigenæ pars per græcorum quondam & latinorum scriptorum monumenta ad nos devenit, atq; ex iis hodieque maximo capitur cum emolumento; sed cum græcorum tum latinorum illa pleraque, saltim optima quæque, jam curantibus viris præclaris, typis sunt edita; ut ad illa quidem manuscripta recurrere sapientiæ hauriendæ caussa non sit necessum. Saltim horum igitur manuscriptorũ pretium longe jam solito vilius est. Et sine caussa hæc quidem, ideo tantum quod manu sit scripta ac proinde rariora inventu (si justo rem judicio censeat) magni adeo, & tanquam thesauri sint arcani, æstimantur. Nec vero reapse præstantiora sunt iis exemplis, quæ typis sunt edita: nisi forte quia scriptione diversa nonnumquam juvare sunt idonea ad genuinam verborum aliquot emendationẽ. Nonnunquam, dico: sæpe enim non juvant sed turbant, scripta scilicet etiam ipsa ab imperitis librariis. Non possum tibi non, mi BOINEBVRGI, hoc loco recitare lepidam fabulam de Fulvio Vrsino, verbis Jani Nicii, ex Pinacotheca illius prima petitis. *Pervetustis codicibus, quorum multos in sua bibliotheca habebat, immania pretia faciebat. Atq; illud accidit perridicule: quod cum die quodam Francisco cardinali Toleto Terentii comœdias ostendisset, easq; affirmasset, ante annos mille fuisse conscriptas; ac revera, essent antiquæ sed mire depravatæ atq; corruptæ: atque addidisset nullam esse pecuniam, quæ antiquissimi illius codicis æstimationi par esset: Proh Deus, cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem codicem unum, quantumvis recens impressum, sed castigatum emendatumque, quam decem alios mendosos & corruptos, quamvis Sibyllæ manu exaratos. Risus omnium qui aderant est factus, cum viderent rerum earum precia, quæ ille in cœlum efferebat, cardinalis æstimatione sic concidisse. Hunc postea librum moriens bibliothecæ Vaticanæ legavit.* Idem profecto jure etiam Tu dixeris cum Toleto, de quammultis manu exaratis ac typis impressis codici-

 bus;

bus; si quidem ex usu eorum pretium velis æstimare, ceu fieri par est: præsertim post tam sedulam operam excusis libris à doctissimis quibusque impensam. Alia, fateor, est ratio manuscriptorum, quorum exempla hactenus per typos impressa ac multiplicata non sunt. At vero quantum quidem ex indicibus eorum videre est, pleraq; illorum minoris ad sapientiam præstandam momenti sunt: ac proinde minoris etiam faciendi. Quin major tamē nonnullis quamvis paucioribus reverentia debeatur, absit ut à me negetur. Quæ orientalibus linguis sunt composita monumenta (qualia spretis Græcis Latinisq; à nonnullis jam calidissime omnium expetuntur, ut est ingeniū hominum novitatis avidum) in nostro quidem orbe longe Græcis Latinisque rariora sunt, quoniam, si Hebraica & Chaldaica excipias, nihil fere eorum (pauca enim non moror) typis est editum: adeoque hactenus in majore merito sunt pretio habenda. Si utilitatis tamen, quam ex iis sapientiæ studia debeant aut possint accipere, rationem habeas, vereor ne infra typis excusos, & multum quidem, rejicienda sint. Seponamus sane Hebraica: hactenus profecto ne ex fama quidem accepimus, esse saltim vel Persicum, vel Copthicum, vel Aethiopicum quid aptum sapientiæ (alia enim ratio historiæ est) quod non liceat longe plenius ex typis editis addiscere. Quæ certe, tanquam invitamenta ad doctrinam illarum gentium desiderandam, usque huc prodierunt, vetant nos ab iis præclari multum sperare. Omnium eruditissima citra controversiam Arabica sunt; ut numero etiam plura. Sunt autem eorum alia versa ex linguis aliis, alia propria. Illorum potior saltim pars ex græco profecta est. Quæ, quoniam græce jam tum publicata typis sunt, quis prudens ex aridis Arabum rivulis quæsierit? Mathematica quædam, fateor, adhuc græce desideramus, quæ illi Apollonio Pergæo & aliis adscribunt: sed perquam pauca, & fortassis incertæ fidei. De Apollonii Conicis vide

notata

notata Vossio l. de scientiis mathematicis pag. 55. Scio & ex latino versa quædam, ipsi latino orbi hodie ignota, superare, à viris doctis Erpenio & aliis esse traditum: sed hactenus quidem decollavit illa spes, nec vel Asia vel Africa quidquam tale Europæ dedit, imo vero nihil tale quo speremus facit illud, quod Johannis Leonis testimonio jam tum narravi, de latinis per Africam omnem monumentis abolitis præ superstitione Calipharum. Eadē de caussa & bibliothecam Alexandrinā jussu Caliphæ Omari combustā traditur à Gregorio Abulpharajio pag. 114. Quæ propria sunt Arabum longe infra Græcam eruditionem esse, mihi quidem documento sunt philosophica & medica: utpote quorum potissima dudum habuerimus latine sive barbare potius versa: in quibus nihil fere reperias non à græcis acceptum, quod quidem majoris paulo momenti queat censeri. Sed quid hisce immoror! Fateor sane, BOINEBVRGI, aliam hæc operam exposcere. Tibi tamen quin persuadeam facile hæc etiam quæ de orientalibus libris disserui, non dubito: quoniam cum cura, ut soles, legisti saltim bibliothecam orientalē, in hoc doctrinæ genere longe omnium clarissimi eoq; nomine tibi quoque acceptissimi Joannis Henrici Hottingeri. Non licuit autem non saltem levi brachio hæc attingere, demum ut constet, quid revera ad perfectionem bibliothecæ attineat. Sententiis populi huc illuc solo novitatis amore fluctuantibus, simul ille desperat ex eo quod jam præceptum est gloriam assequi. Qua de re prudentem paterculi dissertationem fine libri ejus primi operæ fuerit pretium legere.

Et vero

Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?

Ne statim vero manuscriptorum curam relinquamus, equidem ita sentio, illustribus quidem illis & regiis bibliothecis, præ orientalibus saltim, convenire & illud manuscriptorum

 genus,

genus, quod sequiorum quoque imo & nostri temporis res gravissimas atque acta prodere aptum est. Qualia in Germania nostra summo studio princeps forte collegit Melchior Goldastus, in Gallia vero post P. Pithœum & Thuanum Petrus Puteanus & Lomenius. Recitabo tibi quædam argumenti hujus, ex vita Puteani illius disertissime pariter & cum laude prudentiæ à Nicolao Rigaltio conscripta. Verba ejus sunt. *Eademque opera Puteanus ipsum Perescium, atque de Jussionum regiarum quatuorviris Antonium Lomenium Villoclarium, arctissimo secum invicem amicitiæ nexu conjunctos, fecit ut enixe conspirarent, qua pollebant gratia, requirendis undique arcanæ memoriæ chartis, curiosâ rerum nostrarum externorumque studia valde juvantibus. Habentur illic principum & legationum, vicissimque ad principes & legatos literæ; instructiones, mandata, & hujuscemodi alia innumera. Quibus odorandis vestigandisque mira fuit Lomenii Perescîique sagacitas, magna felicitas sive auctoritas obtinendis; maxima vero Puteani sedulitas & industria singulis ordine ac tempore distinguendis & componendis. Exinde autem vidimus instauratam bibliothecam voluminum amplius quadringentorum, quæ Lomenius noster sumptu liberali, multo labore transscripta, magnificoque opere compacta, suis ædibus officiosissime habuit ad varios amicorum usus. Eo decedente, ex ærario regio librarum millibus quadraginta persolutis, regiam plane supellectilem Luparanis armariis custodiri placuit; donec accederet bibliothecæ omnium toto orbe bibliothecarum copiosissimæ* (Mazarinianam nisi fallor intelligit) *unde est tandem in regiarum chartarum thesaurum comportata.* Idem vero Rigaltius jam scripserat, à Puteano ipsomet fuisse congesta *memorialium septingenta & sexaginta quinque volumina, scripta ipsius plerumque manu.* Catalogi Puteanei tomi illi duo, qui habentur in bibliotheca Augusta mss., referunt volumina sexcenta & octo: ut videatur desiderari ibi tomus tertius illius catalogi. Nec vero talia bibliothecis con-

dere

dere plane novum quid eſt, ſed, invitante palam uſu, jam tum vetus. Ab Ariſtotele ſane talia congeſta fuiſſe, ſcripſi jam ante. Clarius ex Athenæo l. 5. cap. 15. patet, huc quoque incubuiſſe Apelliconem Tejum Peripateticæ addictum ſcholæ, cum bibliothecæ locupletiſſimæ congerendæ olim in primis daret operam: *ſurrepſiſſe* nimirum *ex Metroo decreta majorum autographa: ex aliis etiam civitatibus, ſi quid eſſet antiquum, vel arcanum, vel reconditum, id omne corraſiſſe.* In bibliotheca Vlpia Romæ talia reponi ſolere diſcere eſt ex iis quæ Flavius Vopiſcus inde ſibi acquiſita, narrat non ſemel in hiſtoria Aureliani imperatoris. Imo ea fere ſola videntur fuiſſe divitiæ veteris Romanæ pontificiæ bibliothecæ. Ita enim ſcribit Onuphrius Panvinius libello quem de bibliotheca Vaticana conſcripſit, cujus fragmenta antehac non ſemel adduxi in teſtimonium. *Hilarius papa, primus quod legerim bibliothecas duas Romæ juxta fontem Laterani ædificavit, in quibus eccleſiæ Romanæ ſcripta, & epiſtolas decretales Romanorum pontificum, conciliorum actiones, hæreticorum palinodias & hæreſes, ſanctorumq; patrum libros, publico uſui chriſtianorũ conſervaret; cum eo tempore libri ob paucitatem, & librariorum raritatem, difficile admodum invenirentur.* Idem paulo poſt. *Qui bibliothecæ præerat, jam olim bibliothecarius, & aliquando cancellarius vocabatur. Hujus munus erat, bibliothecam, & omnia ejus volumina ſcripta, membranas, & ſimilia accuratiſſime cuſtodire: Bullas, ſive diplomata, vel epiſtolas decretales pontificum ſcribere, & ſi opus erat, dictare: Acta conciliorum & ſynodalia exſcribere ac conſervare: tandemque apud Romanum pontificem ea omnia præſtare, quæ ſedis apoſtolicæ cancellarii noſtro tempore faciunt. Conveniens etenim viſum fuit, ut is potiſſimum eſſet papæ amanuenſis, ſcilicet ſcribarum princeps, vel à ſecretis, qui etiam pontificiam bibliothecam, quæ tunc erat veluti cancellaria quædam, ſive, ut nunc loquimur, ſecretaria, tractaret. Noſtris vero temporibus hæc omnia ſunt diviſa.* Hæc ille. Vt appa-

appareat, quæ veterum autorum quidem manuſcripta hodie habet Vaticana, à Nicolai quinti temporibus demum acceſſiſſe. Vidit hunc uſum & Joannes Baptiſta Cardona: eoque ſuadet, in Scoriacenſis bibliothecæ reconditiore loco, clauſis armariis *cuſtodire & illa, quæcunq; jurisdictionem & jus Hiſpanum complectuntur, ſeu ſint ea Hiſpaniæ totius communia, ſeu provinciæ & partis propria alicujus; ubi & pontificum privilegia concludenda: qui locus tamen non pateat cuivis, ſed quibus permiſerit bibliothecæ præfectus, ceu ſit Romæ in Vaticana.* Quod tamen num in bibliotheca illa factum ſit, neſcio. Mazarinianã fuiſſe ab id quoq; genus manuſcriptis optime, ſaltim olim, inſtructam, certum eſt. Videtur ſane hiſce potiſſimum fuiſſe comprehenſas, centum ac quinquaginta etiam exterarum provinciarum civitatumq; mores, leges, conſuetudines: Leges item & fundationes, omnium religioſorum collegiorum, hoſpitalium, communitatum & fraternitatum: partem deniq; magnã hiſtoriæ perpetuæ univerſalis: quorum in querela ſua meminit Naudæus. Id genus vero monumentorum non deberi à perfecta quidem bibliotheca abeſſe, facillimum judicatu eſt, modo attendas ad bibliothecæ perfectæ ſcopum atq; adeo ad uſum, qui ex libris exſpectari poteſt. Et vero ille ſcopus demum recte definit, qui qualesque libri in bibliotheca reperiri debeant. Et quidem, à perfecta atque omnibus numeris abſoluta nihil alienum eſſe debere, quod quacunq; ratione ſtudiis & doctrinæ inſervire eſt idoneum, hinc plane eſt perſpicuum.

Cæterum de perfecta ratione bibliothecæ agere, proprie ad artem pertinet bibliothecariam. Dicam ergo potius tandem, quid laudis à librorum bonitate mereatur noſtra AVGVSTA: præſertim quoniam, quæ modo attuli, tantum in id adducta ſunt, ut errorem illum fere cõmunem ex animis deleam, quo ſoli manuſcripti codices, & quidem ſoli græci ac latini vel etiam orientales, creduntur digni qui in illuſtribus

biblio-

bibliothecis recondantur; aut si nõ soli receptu digni censeantur, citra discrimen tamen bonitate omnes alios superare. Igitur non sane destituitur AVGUSTA etiam manuscriptorum insigni copia: ut quorum possis ibi numerare bis mille circiter, græcos, latinos, hebraicos, arabicos aliarumque linguarum, & quidem optimæ notæ omnes, complures hactenus typis non excusos. In quorum conquisitione etiam illam felicitatem sibi contigisse, impense lætatur princeps optimus, quod dum ardua serenissimæ domus negotia Rudolphum II. & Ferdinandum II. imperatores Vindabonæ adire compulissent, in Hungaria laciniam celeberrimæ quondã bibliothecæ Matthiæ Corvini sibi comparare, quãvis magno ære, concessum fuerit. Deprehendere vero in illo manuscriptorum ordine licuerit Tibi simul, incomparabilẽ thesaurum, & in Germania quidem nusquam antehac visum, prope septingentorum, & quidem magnam partem spissorum omniq; pagina plenissimorum (cujusmodi neutiquam sunt illa Lomeniana Gallica) primæ magnitudinis voluminũ, de arcanis negociis ac rebus præcipuis, nõ duntaxat Germaniæ universæ aut hujus inclyti ducatus, sed Galliæ etiam (de cujus unius negotiis integri trecenti nonaginta septem tomi, maximis sumptibus Lutetiæ Parisiorum, ex Lomenianis forte, descripti, & nitidissime formati, heic reperiuntur) aliarumq; rerumpublicarum Europæ: quod genus manuscriptorum in usum civilem prolixius paulo ante commendavi. Non diffitebor tamen, manuscriptorum multitudine, forte etiã si antiquissima illa spectes præstantia, vinci AVGVSTAM ab Italiæ, Galliæ, Hispaniæ & Angliæ nonnullis bibliothecis. Enimvero de Vaticana jam tum Onuphrius Panvinius non dubitavit referre, excedere ejus manuscripta numerũ sex millium: qui tamẽ numerus quemadmodum iniri commode potuerit nondũ indicibus confectis, equidem ignoro. Post Onuphrium vero crevit etiam illa biblio-

theca plurimum, præsertim spoliis Germaniæ Palatinis. Ut proinde quamvis antehac nō responderit exspectationi, nunc tamen manuscriptorum quidem nomine omnium forte sit citra controversiam princeps. Super optimorum scilicet auctorum præclara monumenta, etiam illo veterum actorum genere magis forte quam alia quædam instructa est: quemadmodum ex Annalibus, Baronii, Bzovii, Odorici, aliisque editis scriptis apparet. Quanquam etiam hac in re perquam negligenter sæpe eam curatam esse, ex iisdem liceat Annalibus colligere; multis scilicet ibi deficientibus, quæ tamen cum cura conservari interfuisset ipsi Romanæ ecclesiæ, atque adeo aliunde Annaliū scriptoribus illis fuerunt petenda. Vide Turriani verba apud Jacob. Capellum vind. Casaub. p. 318. Cujus generis sunt utique & epistolæ Leonis III. papæ ad Carolum magnum, quas ex MS. bibliothecæ nostræ Juliæ ego heic imprimi curavi; nō inveniri autem in Vaticana fassus est, horum satis gnarus utiq; Jacobus Gretzerus: *Multi sunt anni,* scribit Cardona Hispanus, *ex quo Romæ decreto Gratiani corrigendo opera navabatur, quod mire id corruptum fuerit. Ad eam autem rem missi sunt à Gregorio pontifice Romano cum mandatis qui inspicerent concilia quædam antiqua bibliothecæ regiæ S. Laurentii. Neque sane ea opera vana fuit, tum quia in ea bibliotheca concilia ejusmodi inventa sunt, quæ nos Romæ minime habebamus, tum quia quæ ibi erant manuscripta, visa sunt melioris notæ & scripturæ purioris, quam quæ impressa habentur.* Italicæ aliæ bibliothecæ satis quidem hac parte sunt opulentæ, non tamen multum ad invidiam fortassis. Regiæ Scoriacensi itidem palmam ultro defero: utpote quam etiam Franciscus Schottus præfecerat mediceæ ac regiæ Gallorum; cum nihil tamen accepisset de Maroccanis libris isthuc translatis. Ante spolia illa Africana sane, videtur græcis libris potissimam ibi fuisse dignitatem. Ita enim de bibliotheca isthac Joan. Mariana, Jesuita

Hispani-

Hiſpanicarum rerum peritia nemini ſecundus. *Libros ſervat, præſertim græcos, manuſcriptos; præcipuæ pleroſq; vetuſtatis; qui ex omnibus Europæ partibus ad famam novi operis magno numero confluxerunt.* Cum Oxonienſi quoq; non contenderim, imo ne quidem cum regia Gallicana. In Anglia minorem eſſe copiam msstorum quam in bibliotheca regia teſtatur *Caſaubonus in epiſtolis pag. 979.* Fortaſſis etiam, græcorum ſaltim msstorum copia, vicerit Monachienſis Bavarica & Auguſtana. Verum enimvero quantum hac parte AVGVSTA illis cedit, tantum profecto viciſſim ſuperat bonitate librorum aliorum, atque adeo vera bibliothecæ perfectione. Enimvero ſi uſum ſpectes, multo hæc noſtra eſt omnibus illis aliis locupletior meliorq;. Novit ſcilicet princeps doctiſſimus ſuo juſto pretio & manuſcriptos & alios libros omnes æſtimare: novit etiam pro ſua ſapientia, in quorumnam librorum poſſeſſione vera perfectio bibliothecæ regiæ conſiſtat: itaq; msstorum habuit rationem quam par erat haberi, & uſu ſpectato id unice dedit operam, ne quid ad omnigenæ doctrinæ ſtudia commodum temere deforet. Quod profecto eſt conſecutus: ut vel ex illo indiculo, quem ſeorſim mitto, Tibi etiam quamvis abſenti liquido poterit apparere. Non deſunt autem præter libros & Sphæræ quas vocant armillares, juxta varias τῶν ἀστρονόμων veteris noſtriq; ævi hypotheſes affabre confectæ: non eximii etiam cœleſtia pariter & terrena omnia exhibentes Globi: nō in mathematicorum ſtudiorum uſum præparata inſignia inſtrumenta. Quibus conſtruendis hæc ætas noſtra, non induſtriam duntaxat, ſed conatus etiam, imo ipſamet deſideria antiquorum temporum, ſive Aegyptios, ſive Chaldæos, ſive Græcos, ſive Latinos, ſive Arabes deniq; ſpectes, longiſſimo poſt ſeſe intervallo relinquit. Noluit vero ſapientiſſimus princeps talia etiam in AVGVSTA ſua deſiderari; quandoquidem poſſunt non minus ac libri, ex parte etiam plus quam libri, ſtu-

diis illis excellentium rerum, plurimum conducere. Cæterum quo ſentias nihil me dare in principem meum affectui, non diſſimulabo, videri mihi, quantum ex Querela Naudaeana colligere eſt, Mazarinianam, qualem quidem illam Querela iſthaec deſcribit, tanquam ideam omnibus numeris abſolutae bibliothecae haberi potuiſſe: cuique adeo par AVGVSTA non ſit. Caeterum quantum illa cardinalitia à priſtina iſthac perfectione deſciverit, nemini (dolor!) eſt ignotum. Vt concedo igitur, primas Mazarinianae antehac debitas, ita nunc easdem illi deberi, non equidem affirmaverim. Quantumvis vero etiamnum forte debeantur illi primae, ſatis tamen fuerit ad parandam AVGVSTAE admirationem, in ſecundo loco reperiri: quoniam reapſe Mazarinianae illi, cum adhuc eſſet integra, ſimilem ſol neque viderit hactenus neque unquam forte eſt viſurus.

Bibl. Auguſtæ Admirandum VI.

Cæterum quinto etiam admirando nimium fortaſſe ſum immoratus. Ero impoſterum brevior: nec tamen poſſum ſine culpa ſilentio præterire adhuc ſaltim duo admiranda: de quibus proinde agam quidem, brevibus tamen. Inter illa autem ſummo merito admirationem parit diſpoſitio librorum: digna idcirco quae inter AVGVSTAE admiranda ſexto loco numeretur. Enimvero non equidem dubito illam proponere in exemplum quod aliæ imitentur; idq; quandoquidem exiſtimo, illam usque adeo omnibus plane numeris perfectam eſſe, ut nulla prudentia humana vel addi vel demi quidquam poſſit. Duo ſcilicet ſunt quae in ordinanda ut alia quavis domeſtica, ita & libraria ſuppellectile ſpectare oporteat, promptus uſus & elegantia. Vtrumque aſſecutus eſt ſapientisſimus princeps: & primum quidem numquam ſatis laudando artificio. Ea videlicet artificii illius vis eſt, ut inter librorum centena ſedecim millia, volumina viceſies octies mille, liber quisque & volumen unumquodque deſideratum, pene momenti

menti ſpacio poſſit exhiberi, etiam ab homine imperito librariæ omnis rei, tantum legendi gnaro. Vt poſſint item ſuo loco numquam non inſeri libri recenter adducti, vel mille ſi opus ſit, ſine ulla novatione aut turbatione ordinis prioris numerique. Et vero hoc ut aſſequeretur princeps, cum illa adhibuit ab aliis jam laudata & adhibita ordinis boni adminicula, tum ſuo, quo plurimum valet, ingenii acumine, excogitavit, niſi fallor numquam aliis uſitata remedia. Videas nimirum hic etiam in varias claſſes pro argumenti varietate volumina diſtincta: quod unicum nonnulli & comendant & obſervant. Imo quo diſtinctio ſit accuratior, videre eſt ſectam quaſi bibliothecam in partes viginti: cum alii exiſtiment abunde magnā ſeſe curam adhibuiſſe, facta librorum in quatuor aut ſex ordines diviſione. Harum claſſium prima data eſt theologicis: ſecunda Juridicis: tertia hiſtoricis: quarta bellicis: quinta politicis: ſexta oeconomicis: ſeptima ethicis: octava medicis: nona geographicis: decima aſtronomicis: undecima muſicis: duodecima phyſicis: decima tertia geometricis; decima quarta arithmeticis: decima quinta poëticis: decima ſexta logicis: decima ſeptima rhetoricis: decima octava gramaticis: decima nona miſcellaniis ſive quodlibetariis ut vocant, in quibus ſcilicet vel libri aliquot diverſarum claſſium vel miſcelli argumēti liber unus continetur: viceſima deniq; manuſcriptis voluminibus. Ad hoc videas quoque heic plerumque dorſo accurate indicatum quid volumine comprehendatur. Qui mos quamvis communior ſit, quoniā tamen prodeſt indagantibus libros illis quibus indices ad manū non ſunt, non paſſus eſt princeps heic etiam deſiderari. Præterea autem ſingula volumina numerorum notis ſignata ſunt, ac pleraque quidem duplicis alia & triplicis ordinis: quam rem præcipuum diſpoſitionis vinculum dixeris. Cum illis enim numeris connexi potiſſimum ſunt vaſti illi & ſine exemplo accurati indices,

quos supra laudavi. Quæ omnia conjuncta præstant deniq; illud inusitatum, ut in tanto librorum numero nihil non quavis exiguum repertu & promptu sit facillimum.

Vt consuleretur vero etiam elegantiæ, disposita omnia sunt, habita ratione diversæ proceritatis. Multum sane elegantiæ officit, si absq; discrimine magnis parva misceantur, & alia emineant alia depressa subsideant, cumprimis si omnia cujuslibet formæ ob solā argumenti convenientiā jungantur: quod tamen à magno viro Jacobo Gothofredo factitatum, observo ex bibliothecæ illius indice. Quo & splendorem sapientissimus princeps bibliothecæ conciliaret, immensam illam librorum vim non per multa exigua secuit conclavia, sed duobus duntaxat amplissimis cubiculis, iisq; pariete tantum divisis, omnia quasi uni oculorum obtutui offert. Nec vero temere quem latet, quantum intendat splendoris, spacium ædificii diffusum & late patens, præ minutis substructionibus: maxime vero, quo plura spectanda simul exhibet. Est vero & jucundum valde, uno prope momento infinita quasi sic addiscere: perinde scilicet atque alias etiam venire usu solet, si multa subito detur intelligere. Quo nomine placere & μεταφορικὴν dictionem præ simplice & propria, rectissime Aristoteli est monitū; prudenter addito: τὸ δὲ μανθάνειν ῥαδίως ἡδὺ φύσει πᾶσιν ἐστι. Ne quid nunc dicam, quod illa ratio ordinandi libros, ad custodiā accurate instituendam magis conducat, quam altera illa per varia cubilia divisio. Aemulatur sane Persicam supellectilis domesticæ dispositionem, Aristoteli quoque ipsi laudatam in oeconomico: qua scilicet efficitur, ut patrisfamilias oculis omnia magis sint exposita. Ita porro omnes utriusq; cubiculi partes armariis & loculis, recipiendis libris aptis, princeps sapiens replevit, cum ne superfint loca otiosa, tum ne sit spacium satis amplum & adeundis & tractandis, in aliquot mensis ad id compositis, libris singulis. Igitur primum parietes, qua

per longitudinem ædis porriguntur, utrinque tecto tenus habent sua armaria sive pegmata perpetua, in octo diversi generis loculamenta divisa: quorum tria inferiora capiunt majoris illius formæ, quam à folio appellamus, quinque reliqua superiora quartæ, octavæ, aut duodecimæ staturæ volumina. Præter hæc medium cubiculi secant armaria, pari quidē cum illis ad parietes inclinatis longitudine, minore tamen altitudine, ne nimirum intercipere illa possint utriusq; lateris jucundum illum adspectum; cui defectui tamē succurritur eo, quod armaria illa sint geminata, & utrinque constent quatuor loculorum ordinibus; quorum duo inferiores itidem maximæ, duo superiores minoris magnitudinis libros exhibent.

Huic bibliothecæ dispositioni quid addi, aut quid illa possit excogitari prudentius, equidem fateor me ignorare. Non dubito, Te etiam, illustris BOINEBVRGI, idem mecum affirmaturum. Vtrum alibi unquam ea in disponendis libris fuerit prudentia adhibita, discere itidem nō habeo; silentibus fere talia cū antiquis tum nostri ævi monumētis, quasi minus memoratu digna. Qua in re tamen haud parum delinquunt; quandoquidem idonee componere libros, non minoris utiq; prudentiæ sit, quam congerere: imo liceat pene pronunciare de bibliothecaria re, quod de oratione, l.3.epist.13. Plinius dixit. *Invenire præclare, magnifice ornare, etiam barbari solent: disponere apte, digerere varie, nisi eruditis & perquam prudentibus negatum est.* Sed tamen & multum verisimile est, si usquam ea fuisset observata accurata dispositio, certe si indices usquam stupenda illa cura fuissent confecti, non temere id tacituros, præclaros & scribendi peritos adeo multos omnium temporum artifices. Igitur silentium illud, quantum equidem suspicor, certo indicio est potius, ultra vulgarem industriam nihil curæ alibi in disponendo collocatum esse. Quid? quod pauca illa quæ silentio præterita non sunt, hanc disponendi prudentiam diligentiam-

gentiamq; potissimis etiam bibliothecis defuisse, significent? Passim sane deprehendo querelas de catalogis laborantibus. Ipsammet Vaticanam à Sixto quarto usq; hærere hac parte, jã antehac demonstravi. At sine indicibus perfectis nulla librorũ dispositio integra est. Nusquã etiam non observo bibliothecas in complura conclavia divisas: & quidẽ ipsam etiã Mazarinianam, qua nihil perfectius unquã fuisse jam confessus sum, septẽ conclavibus fuisse intercisam, Scoriacensem vero Hispanicam tribus, Vaticanam itidẽ pluribus. Regia porro illa Alexandrina videtur in nõ uno templo delituisse: quod vitium adhuc majus est. Id innuere utique videntur illa Pauli Orosii: *quadringenta millia librorum proximis forte ædibus condita perierunt.* Vtque fuerint illi libri omnes non nisi in templo unico, Serapeo videlicet, per varias tamẽ bibliothecas fuisse sparsos, cum ex Tertulliano, tum ex Ammiano Marcellino est discere. Illius in Apologetico cap. XVIII. hæc verba sunt. *Hodie apud Serapeum Ptolomæi bibliothecæ cum ipsis hebraicis literis exhibentur.* Ammianus l. XI. *Inter templa*, inquit, *eminet Serapeum, in quo bibliothecæ fuerunt inæstimabiles.* Parem fuisse rationem Pergami, colligere est ex hisce Strabonis l. XIII. *Eumenes urbem instruxit; & donariis ac bibliothecis uti nunc est diligenter excoluit.* Quicquid vero horum sit, nihil omnino in dispositione librorum AVGVSTAE posse desiderari, ac proinde hac etiam parte esse illam admirandam, abunde jam est manifestum.

Biblioth. Augustæ Admirandum VII.

In ipsius postremo domicilii bibliothecæ AVGVSTAE structura, admirari quoq; merito debemus sapientiam conditoris. Ad duo nimirum attendendum videtur, ut bibliothecæ alicujus regiæ ædes queant commodæ æstimari. Nempe si aptæ sint præbere cum tutum & sufficiens tanto thesauro receptaculum, tum simul ejus promtum usum. Prius impetraveris, partim justa capacitate atq; amplitudine, partim ea sive collocatione sive structura, ne vel incendiũ temere vel hostilis

direptio

direptio librorum metuenda ſit. Poſterius, ſi ſita ſit bibliotheca eo loci, ubi doctorum hominum invicino eſt copia, qui libris bibliothecæ reconditis adjuti rempublicam literariam, atque adeo ſacra profanaque queant exornare. Nihil non horum habent AVGVSTAE noſtræ ædes. *Primum* enim ſpacioſus utiq; bibliothecæ locus ut concederetur, non dubitavit optimus princeps, cum domus, in quam bibliothecam recondiderat, non ſufficere videretur capiendæ multitudini librorum quam congerere deſtinabat, paris magnitudinis alteram priori adjungere: ita ut nunc quidē amplitudini nihil omnino deſit. Patet nempe utrumq; bibliothecæ cubiculū (liceat ita nunc appellare) in longitudinē Geometricos pedes centum triginta ſeptem digitos duos, in latitudinē vero pedes triginta ſex & ſex digitos. Ab incendiis *ſecundo* ſecurū uti ſit bibliothecæ domicilium, cautum prudenter eſt eo, quoniā nulli eſt contiguum ubi igne eſt aut flamma operandum: habet vero & vicinum Ocrum flumen, & inſtrumenta varia reſtinguendæ flam̄æ, ſi quæ forte exſurgat, maxime idonea. Ab hoſtili *tertio* injuria præſtant ſecura omnia, cum inuſitatū illud munimentorū robur univerſæ Λυκοπόλεως, tum ipſa arx propriis adhæc viribus ſubnixa, in quā bibliotheca eſt recepta. Incredibile ſcilicet dictu eſt, qua arte, quave induſtria urbem omnē princeps muniri curet. Provocare ſane jam tum poteſt munitiſſimū quemvis Germaniæ noſtræ locum: nec tamē adhuc muniendi finis itidem non poteris non mecum admirari principis prudentiam: quod nimirum ſapientiſſima τῶν πολιτικῶν ſecutus monita, à natura negata toti regioni munimenta, arte circa unā ſaltim urbem, quæ ipſi pro domicilio eſt, corrigi fecerit: in pace decus atq; ornamentum, in bello certum univerſo populo refugium. Non deſunt *quarto* in vicinia, qui librorū illa congerie cum eccleſiæ & reipublicæ emolumēto utantur. Habet enim utiq; ipſa aula ducis numquā non viros doctrinæ omnigenæ ſtudiis de-

deditos. Habet urbs variæ eruditionis & cupidos pariter & plenos. Julia nostra, principis utique Academia, quintò duntaxat milliari abest: studiorum omnis generis amica, magistra, nutrix. Quod caput est, princeps ipsemet non minus usu librorum gaudet quam possessione: eoq; nunquam non horũ aliquem sive in consilium sive in liberalem animi delectationẽ adhibet. Quod ipsum ne quem lateret, exprimi curavit literis aureis, statim in AVGVSTAE vestibulo, hanc elegantem sane sapientemque γνώμην:

QVANDO OMNES PASSIM LOQVVNTVR ET DELIBERANT, OPTIMVM AMVTIS ET MORTVIS CONSILIVM EST: HOMINES QVOQVE SI TACEANT, VOCEM INVENIENT LIBRI: ET QVAE NEMO DICIT, PRVDENS ANTIQVITAS SVGGERIT.

Omni ex parte igitur hac etiam tenus AVGVSTAM nostram vere esse admirandam, nemo æquus & peritus talium arbiter quidem negaverit. Nulla sane vel veterum vel recentium bibliothecarum etiam heic inferior est. Nonnullas etiam ex celeberrimis minus bene constitutas, non difficile fuerit deprehendere. Enimvero perquam verosimile quidẽ est, veteres securitatis potissimũ obtinendæ gratia, in templis plerumque bibliothecas illustriores publicas dedicasse, ut locorum scilicet religione à vi & aliis injuriis defenderentur: ibi etiam ampla satis spacia bibliothecis concessa (quemadmodum scilicet legimus, Aegyptios antiquos in templo Vulcani, Ptolomæos in Serapidis, AugustumPalatinã in Apollinis, Domitianum in Pacis, Hadrianum Vlpiam in Trajani, alias alibi struxisse) nec tamen vel ita cautum fuisse illis de conflagratione, quod ipsa illa templa ignis injuriæ fuerint exposita, ex iis quæ de infelice bibliothecarum plerarumq; fato jam disseruimus innotuit. Audivisti vero etiã, fraudi fuisse bibliothecis illis

illis antiquis ipsam templorum inhabitationem, postquam reverentia & pristina auctoritas per christiana sacra fanis detracta est; ita scilicet esse factũ, ut à christianis direptæ perierint. Suidas quoq; in Ἰοβιανὸς docere te poterit, ea fere occasione conflagrasse una cum templo Trajano Antiochiæ illam bibliothecam, quam struere in illa æde cœperat Julianus ὁ ἀποστάτης. Non negaverim tamen, nulla prudentia hoc quidẽ fatum prævideri olim & caveri potuisse à gentilismo addictis bibliothecarum conditoribus. At vero longe minus ab injuriis istis securæ olim præstitæ sunt bibliothecae veterum reliquae: eoq; facillime periisse deprehendimus. Quod indicio est, à prudentia AVGVSTAE conditoris multum absfuisse illorum structores. Dixeris etiam haud immerito, Pergamenam bibliothecam loco usui studiorum inepto institutam; nec enim vel Pergami vel in vicinia ejus urbis magnopere unquam studia floruerunt. Certe Ptolomæi reges ea in re ostenderunt præ illis singularem sapientiam, quod & alias Alexandria esset viris doctis plena urbs, & inusitato exemplo (nec vero vel secuto ævo tale quid institutum, nisi forte Mediolani cura Federici Borromaei) nobile illud Museum ibi condidissent, doctorum quasi commune receptaculum: de quo plenius libro de antiquitatibus Academicis à me actum est. Vide & Nicii Pinacoth. alterã in vita Fr. Borrom. Ad nostra tempora si veniamus, nescio equidem an usquam capax adeo bibliothecæ ullius domicilium reperiatur, quale est nostræ AVGVSTAE. Adferam tantummodo in medium, quæ de ipsamet Scoriacensi literis prodiderunt cum Joannes Mariana tum Matthias Quadus: quorũ uterq; totum Scoriacense admirandum palatium regium describere tentavit. Mariana sic loquitur l. II. de regis institutione cap. x. *Vestibulo bibliotheca imposita, majori longitudine omnino pedum centum octoginta quinque, lata pedes triginta duos. Libros servat, præsertim græcos, manuscriptos, præcipuæ plerosq;*

 vetusta-

vetustatis: qui ex omnibus Europæ partibus ad famam novi operis magno numero confluxerunt, auro pretiosiores thesauri: digni quorum evolvendorum major eruditis hominibus facultas contingeret. Quod enim ex captivis & majestate revinctis litteris emolumentum? Bibliothecæ parietes elegantes picturæ exornant, artes ingenuas artificiose exprimentes, cum antiquis comparandæ. Quadi hæc sunt verba Geographicarum enarrationem l. VII. *Bibliotheca in superiore parte præcipui introitus monasterii est, in longitudine centum octoginta quinque pedes, in latitudine habens triginta duos. Tota concamerata est; in cujus fornicibus diversarum artium imagines, aliæque historiæ conspiciuntur: cui loco aliud imminet tablinum, usui bibliothecæ destinatum. Habet autem bibliotheca tria diversa conclavia, in quorum primario omnes depictæ videntur facultates: ad pedes autem cujusvis picturæ ejus facultatis libri omnes concinno ordine locati sunt, omnes inaurati ejusdemque compacturæ. Ibidem ingens etiam positus est liber totus membraneus, in quo omnis generis animantia, quæ in universo terrarum orbe usquam conspecta sunt, ad vivum suis coloribus adumbrata conspiciuntur. Alterum conclave meros continet manuscriptos libros, latinorum, græcorum, & hebraicorum theologorum, quibus singulis authorum suorum imagines præpositæ sunt. Similiter & tertium solis manuscriptis refertum est, variorum authorum ac facultatum: puta historicorum, poëtarum, artificum, variarum etiam linguarum. Quibus similiter & sui authores, quantum fieri potuit, ad vivum depicti adjuncti sunt.* Hæc illi de domicilio librario Scoriacensi, cui nec Italia, nec Gallia, nec Britannia par habet quidquam: perinde ac tota illa *insana ac superba substructio* (ita loquitur ipse Mariana: H. Grotius l. 7. historiarum appellat, *immenso sumtu structum palatium, cum res interea belgicæ pecuniæ penuria dilaberentur*) caret omni exemplo, hujus quidem nostri ævi. *Superbior* illa Scoriacensis quidem est quã AVGVSTA: hæc tamen ædes reapse capacior: utpote quæ

quæ in latitudine vincat Scoriacensem bibliothecam pedibus quatuor amplius; si utrumque cubiculum jungas, in longitudine superet totis octuaginta novem pedibus. Non hac vero tantum ratione Scoriacense illud domicilium impar est nostræ AVGVSTAE; sed etiam commoditate utendi libris. Procul scilicet locus ille omnis est remotus à commercio studia tractantium. Et huc spectat querela Marianæ de libris ibi quasi *revinctis* & *captivis*. Nec vero qui ibi scholas agunt puerorũ Monachi, idonei sunt librario illi thesauro tractando. Totum porro illud Laurentianum palatium inerme est, & nec à natura nec ab arte adversus vim hostilem munitum: bibliothecam Laurentianam à duris & inhumanissimis lictoribus teneri, scribit H. Ernstius ad vitam Pomp. Attici p. 35. atque ita caret quoque bibliotheca illa Scorialis justa securitate, qua pollet AVGVSTA.

Sed fortassis objecerit aliquis, quod AVGVSTAE nostræ ædes tamen sint infra magnificentiam & splendorem illustrium quarundam bibliothecarum, tum veteris tum nostri ævi. Nec sane me etiam latet omnium ornatus, cumprimis earum, quæ cæsaribus olim regnantibus sunt conditæ. Lacunaria scilicet aurea, pavimenta ex marmore, comptos ebore & vitro parietes, armaria eburnea illis fuisse. De armariis id patet ex illo pandectarum justinianearum titulo qui *de legat.* inscribitur *l. 3. §. sed si.* Vbi ita legitur: *Bibliotheca alias locum significat, alias armarium: sicut cum dicimus Eboream bibliothecam emit.* De parietibus ebore & vitro comptis diserta sunt verba Boëtii l. 1. de consolatione. Aureorum lacunarium & pavimentorum marmoreorum, exemplum paulo post dabo tibi in bibliotheca, quam Athenis struxit Hadrianus. Plinii hæc verba sunt l. XXXIV. cap. XXVII. *Videmus Apollinem in bibliotheca templi Augusti thuscanicum, quinquaginta pedum à pollice.* Verum hoc uni bibliothecæ Palatinæ videtur fuisse proprium, idque

quandoquidem totum illud templum Apollini fuerit ab Augusto consecratum. Idem Plinius l. vii. cap. lviii. *Veteres græcas literas fuisse easdem pœne quæ nunc sunt latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono principum Minervæ dicata in bibliotheca.* Dixeris autem etiam hoc singulare: nec vero alibi tale quidquã obfervaveris. Perinde atque illud quod videtur Cicero in epistola iv. Libr. ix. Familiar. de horto dicere, plane novum quid atq; insolens est. *Si hortum* scribit *in bibliotheca habes, nihil deerit.* Mirum sane, si in bibliotheca hortum & non potius in horto bibliothecam habuerit Varro frugalis paterfamilias, neutiquam certe luxuriosus. Vereor equidem, ut locus ille sit sanus. Utut sit, nusquam aliàs horti in bibliotheca fit mentio: itaque non est cur hoc etiam trahatur sine discrimine ad bibliothecas veteris illius ævi. Ast verò fuerunt passim ibi & picturæ & signa sive statuæ doctissimorum scriptorum: idque ex more ab Asinio Pollione introducto. *Non est prætereundum*, ait Plinius l. xxxv. cap. ii. *& novitium inventum. Siquidem non solum* (inserendæ videntur voculæ: *libri, sed*) *ex auro argentove, aut certe ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis loquuntur; quin imo etiam quæ non sunt finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus. Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.* Non ex metallo autem duntaxat sed etiam marmore, fortasse Plinio jam defuncto, positas imagines, indicant ea quæ hodieque in Italia superant antiqua imaginum marmora & Hermæ. Ad gypso etiam confectas imagines videntur respicere illa Juvenalis:

Quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias.

Est vero statuarum & imaginum ejusmodi non infrequens in scriptoribus ejus ævi mentio. Libris ipsis quoque videntur

pictæ

pictæ imagines ſcriptorum præfixæ: eoq; reſpicere Senecam quando ait: *Iſta exquiſita & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum.* Cujusmodi eſt imago illa Terentii: quam ex duobus antiquiſſimis comœdiarũ codicibus deſumptam inter illuſtres imagines repoſuit num. CXL. Fulvius Vrſinus. Quorum omnium quaſi exemplum accipe, illam paulo ante laudatam Hadriani bibliothecam Atticam. Facit ejus mentionem in chronico Euſebiano Hieronymus Olymp. CCXXVII. *Hadrianus cum inſignes & plurimas ædes Athenis feciſſet, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exſtruxit.* Illius *miri operis* autem rationem plenius nos docet in Atticis Pauſanias Hadriani opera recenſens: cujus verba tantum latine verſa adducam, ne ſim moleſtus. *Sunt & cellæ hic, ex lacunari inaurato & ex lapide alabaſtro: inſuper ornatæ ſtatuis & picturis: repoſitique illic libri.* Non me fugiunt etiam, quæ de Vaticanæ bibliothecæ à Sixto quinto conſtructæ ornatu, picturis, & parietũ inſcriptionibus integro opere narravit Angelus Roccha. Ipſemet paulo ante recitavi nonnulla de Scoriacenſis bibliothecæ ornamentis, ex Mariana & Quado: ne ſim longus aliis nunc commemorandis. Nihil inquam horum me fugit. Eoque fateor equidem, AVGVSTAM noſtram ad illa non accedere. Verum enimvero ut nihil horum diffiteor, ita nec excuſo. Laudo potius. Illa quæ AVGVSTAE deſunt aliena ſunt à re libraria; luxus merus & inſania hominum, non ſtudiis ſed ſuperbæ oſtentationi bibliothecas condentiũ. Quid, quod & officiant vero bibliothecæ uſui? Quo ſane mihi tot ſtãtuæ, & ſigna, & picturæ, intercepturæ locum recondendis libris? Quo ebore & vitro compti parietes, libris ornandi? Quo fulgor auri & nitor alabaſtri, oculorum, qui maxime libris legendis acuendi erant, vim hebetantes? Bene profecto ex aliquo jam veteris iſtius ævi Iſidorus. *Peritiores architecti aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putaverunt: neque alia pavimen-*

pavimenta quam Caryſtio marmore; quòd auri fulgor hebetet, & Caryſtii viriditas reficiat oculos. Nocet vero & quamvis viride marmor, nitore ſuo: ac proinde utilius eſt pavimentum ex gypſo aut lapide, ſi aſſeres damnes ob ſtrepitum inambulantium. Imagines doctorum amavi tantum non tenerrime à prima usque pueritia: & vero fuerunt mihi illæ procul adhuc ab hominum literis illuſtrium conſortio viventi quaſi Miltiadis trophæa. Amavi & amo, ſuo loco poſitas: non ubi impedimento poſſint eſſe majori bono. Imaginum vero etiam affatim habet AVGVSTA, in multis voluminibus ære expreſſarum: quod ſatis eſt. Nec enim nunc memorabo, plurimas ære itidē expreſſas ſolere libris cura typographorum præfigi; quaſi in imitationem ejus, quod olim obtinuiſſe Romæ ex Seneca, & Scoriaci factum ex Quado paulo ante percepiſti: harum ſane etiam ingentem numerum ab AVGVSTA haberi, facile quilibet conjecerit. Jam vero quales inſcriptiones & picturas Vaticana habet ex Sixti quinti inſtituto, utique riſum doctorum merentur. Igitur quæ quidem prudens aliquis judicaverit, ad elegantiam quoq; pertinere bibliothecæ exquiſitæ, eorum nihil profecto in AVGVSTA deſideraveris. Etſi pro eburneis armariis lignea viridi tamen colore picta, pro marmoreo pavimento gypſeum, pro lacunari inaurato itidem gypſeum, pro imaginibus fictis Scoriacenſibus ſcientiarum & artium, ut & pro commentitiis inſcriptionibus Vaticanis, omnes parietes libris optimis inſtructos, nihil autem ſtatuarū liceat deprehendere. Vt optime matrona olet quæ non olet: ita elegantiſſime ornata bibliotheca eſt, quæ ineptiis & luxu ornata non eſt, contenta ſcilicet nativa quaſi librorum ſuorum pulcritudine.

CAETERVM AVGVSTAM noſtram, ſaltim ſeptem de cauſſis, mereri admirationem prudentum, abunde, niſi fallor, demonſtravi. Tibi ſane quin ego ſatisfecerim, illuſtris BOINEBVR-

NEBVRGI, non equidem dubito. Poterit vero tuus assensus mihi esse instar plurimorum: quum & acumine judicii, & candore, & doctrina, & prudentia denique, multum emineas.

Vt quidquam Tibi addam, de AVGVSTAE prompto usu, quod jam dixi itidem requiri ad bibliothecæ cujuslibet perfectionem summam, haut necessum arbitror. Jam tum enim constat Tibi propensa principis voluntas, de libris in studiorũ usum concedendis, modo idonee de restitutione cautum fuerit: idque saltem illustri illo exemplo, quod memoravi de missis Heidelbergam Luciani codicibus ad doctissimum Spanhemium, didicisti. Qua valet vero sapientia, princeps optimus, indubie modum, quo etiam imposterum & usui simul & indemnitati bibliothecæ sit consultum, inveniet: ne quidquam denique desit absolutæ laudis. Consilium suggerere, in omni ejusmodi librario negotio usq; adeo subacto principi, fuerit Minervam artes docere. Ipse providebit: ne dubites.

QVANTVMVIS vero & ego bona fide AVGVSTAE nostræ admiranda tibi narraverim, BOINEBVRGI, & Tu ingenue credas narranti, idemque facturos meliores quosque certus sim: suspicor tamen, haud defuturos, qui ægre sint crediturí, illa maxime, quæ primo, secundo & tertio loco adduxi in admirationem; idque propterea potissimum, quoniam de nemine regum, nemine principum, similia vel fando acceperint. Neq; ego ignoro, quam suspecta soleant esse, quæ exemplo carent: qualia utique sunt. Cæterum quia narratio mea versata est non circa vetera aut remota, sed de iis, quæ nunc etiam & in medio omnium superant, atq; adeo videri indies & quasi palpari possunt, non sine impudentiæ culpa profecto quidquã eorum, quæ narravi, poterit vocari in dubium. Quod autem regum principumq; alius nemo tantum operæ impenderit, aut feliciter adeo bibliothecam condiderit, id equidem contigisse ideo dixerim, quoniam in AVGVSTO principe

meo quatuor observare est conjuncta, quæ tanto operi struendo unice sunt necessaria, & tamen rarissime in hominum quoquam conjunctim deprehendas, tantum abest, ut in magnatû ordine non sit repertu insolens. Illa sunt, studium ardens rei librariæ, eruditio eximia, inusitata φιλοπονία, & denique ætas molliter in extremam senectutem decurrens.

I. Primum haud dixerim defuisse vel Ptolomæis vel Attalicis regibus; defuerunt autem reliqua omnia: ac proinde non est mirum forte, quod nec illi potuerint gloriam AVGVSTI nostri plene assequi. Etiam vero primum illud, hoc est illam φιλοβιβλίαν defuisse pene omnibus aliis regibus ac principibus bibliothecarum conditoribus, haud injuria asserueris. Non certe eorum quisquam magnopere laudatus est hoc nomine: sed hominum litteratorum privatæ conditionis hæc laus fuit propria hactenus.

II. Vt eruditionem vero principis, Tibi quidem, BOINEBVRGI, multis commendem, haud equidem crediderim esse necessarium. Nisi enim vehementer fallor, lecta tibi dudum sunt præclara illa multa volumina, partim ab ipsomet principe elaborata, partim ipso curante in lucem edita, quamvis vero nomine dissimulato. Enimvero curavit princeps adhuc junior imprimi Antonii Bonifinii, illius Hungaricarum rerum illustris historici Symposion trimetrum, & Bartholomæi Fontii in Persii Satyras eximium commentarium, utrumque hactenus ἀνέκδοτον. Exinde autem & alia quammulta principe curante in lucem sunt reducta: quæ omnia nunc recensere nô esse necessum. Etiam sic vero saltim eruditionis sensum eximium princeps optimus declaravit. Quam maxime autem elucet & ingenium & industria & varia plane ac recondita doctrina principis, in voluminibus propriis. Quæ inter jam anno seculi hujus decimo sexto, cum applausu eruditiorum Germaniæ nostræ, exceptum est GVSTAVI SELENI ficto ele-

ganter

ganter nomine, illud grandioris formæ DE LVDO SCACCHICO volumen, vernaculo sermone exaratum. Non te fugit, omnes inter ludos, ab antiquo usque ævo, omnium ingeniosissimum & liberalissimũ semper visum, quem latrunculorum appellaverunt: ac proinde etiam illos, qui maxime seriis fuere negotiis intenti, viros summos, illo lusu acuisse animum & quasi præparasse ad illa magna & severa. Vel idem autem, vel vicinus admodum illi latrunculario est is, quem hodie, nisi fallor, Arabico vel Persico nomine, Scacchicum nuncupamus, forte etiam ab Arabibus aut certe à Mahumedanis accepimus. A Germanico Schach/ quod cædem notat, ludum hunc dictũ vult I. Sirmondus in notis ad capitula Caroli Calvi. Nihil in eo fortunæ: omnia ingenio atque arti debentur. Ac proinde nec stupidior aliquis hic valet quicquam: ex adverso τῶν χαριέντων nonnulli, Italos, Gallos, & Germanos nostros inter, scriptis quoq; libris ornare, illustrare, & novis inventis augere Scacchica haud dubitaverunt. Legisti, opinor, saltim elegans hujus argumẽti poëma Hieronymi Vidæ, illius Maronis æmuli. Longissimo autem post se intervallo relinquit non hoc duntaxat, sed volumina plane omnia id genus, τοῦ σεβαστοῦ principis opus; idq; non tantum repetitis ex prisci recentisque ævi memoria omnibus aliorum acute inventis, sed etiam additis ex ingenii proprio thesauro plurimis novis artificiis. Et vero jam tum isto volumine ostendit princeps, etiam in ludicris sese seria sapere, & sum̃am doctrinam non angustis vulgi limitibus coarctari. Lectum abs Te, BOINEBVRGI, opus illud, spero equidem: est enim inventu rarum. Modo autem inspexeris, admiraberis scio, & novam illius editionem mecũ desiderabis. Quam dare utinam per negotia facile adeo liceat principum doctissimo, atq; ad illam longe illustriorem priore omnia jam tum sunt parata! Cæterum ut forte tibi illud opus Scacchicum sit ignotum, non arbitror tamen non esse

 notissi-

notissimum illud itidem GVSTAVI SELENI nostri quod seculi hujus anno quarto post vicesimum prodiit SYSTEMA INTEGRVM CRYPTOGRAPHIAE, in quo libris IX cum nihil non illius artificiosi argumenti, tum præcipue *Steganographiæ à Joanne Tritthemio Abbate Spanheimensi & Herbipolensi, admirandi sane ingenii viro, magice & ænigmatice olim conscriptæ, enodatio traditur.* Nec vero hoc grande volumen usquam terrarū potuit temere ignorari curiosæ doctrinæ sectatoribus quibusque, quoniam latina lingua, quæ eruditis Europæ hodie est cōmunis, conscriptum est; cumprimis vero quandoquidē novitas argumenti allicere lectores idonea est. Passim scilicet antehac Tritthemiana illa steganographia magicæ impietatis suspicione post Caroli Rovilli insectationem laborabat, eoque & solemni Romanæ curiæ interdicto legi erat prohibita. Cardinalis Bellarminus scribere non dubitavit: *opus illud prohibitum merito est, cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad Magiam pertinentibus, quod & ipse agnovit & confessus est.* Franciscus Junius theologus profecto doctrina multiplice excellens, cum bibliothecam Heidelbergensem curaret, αὐτόγραφον ipsummet Tritthemii Philippo electori Palatino ab auctore oblatum, tanquam Magica refertum δαιμονομανίᾳ combusserat. Inter magicos libros & Johannes Wierus referre steganographiam non est veritus: cum ipse præstigiarum suspicione sese vix liberaverit. Quam feliciter vero princeps purgaverit boni Tritthemii illud quidem opus, audi sodes judicium Gabrielis Naudæi, viri utiq; multa eruditione clarissimi in bibliographia politica. *Quod ad steganographica*, inquit, *pertinet, quæ Carolo Bovillo doctori parum nasuto, ac ipsius relatione multorum credulitati magica omnino visa fuerant, ea sic nuper illustravit nobilissimus auctor cryptographiæ Gustavus Selenus, ut quicquid in illis obscurum involutumque tamdiu in summa omnium opinione ac veneratione delituerat, non amplius sui desiderium*

derium excitet, postquam ab illo retectum est atque patefactum. Jam ante laudaverat eximio elogio hoc opus in suo libro Gallice scripto Apologetico pro iis, qui magiæ nomine infames fuerint cap.17.pag.511. editionis Hagiensis. Gustavi Seleni elogium habet Mallincroth libro de literarum usu pag. 106. 126. & 127. Ipsemet Gerardus Joannes Vossius, vir itidem longe doctissimus, lecto Seleniano opere, soceri sui Francisci Junii de Trithemiana steganographia judicium non nisi trepide & leviter ausus est defendere, *viri doctissimi* præconio Gustavum nostrum prosecutus. Liberavit Tritthemium fateor & I. Caramuel Lobkowitzius ab infamia illa magica, sed volumine multum dispari, & aliquot demũ post principem annis: quamvis inepte ausus sibi primo gloriam illam vindicare, principis ingentibus meritis per κακοζηλίᾳ dissimulatis. Non Tritthemiana autem duntaxat illustrata sunt à principe, sed etiam cætera omnia subtilium ingeniorum κρυπτογραφικὰ comenta; ut autoris variam lectionem, (ex omni enim ævo & omni gente videas ibi laudatos auctores optimos quosque, prope ducentos) acre judicium, & summam industriam, opus illud nemini non liquido ostenderit. Quanta porro eru ditio latet in illis sacris HARMONICIS operibus, quæ vernaculo sermone in id piissimus princeps, media inter discrimina feralis belli Germanici, elaboravit, ediditque, ut eo promptius animos suorum rudiores ad religiosum numinis cultum excitaret; initio facto à passionis dominicæ historia! Enimvero deprehendas utiq; hic primum exquisito judicio ex universa evangelica historia concinnatam, cum potiorum vitæ omnis Servatoris nostri actuum, tum illarum περικοπῶν, quas jam aliquot seculis occidentales septemtrionalesque ecclesiæ, ex evangeliis & epistolis sacris excerptas, dominicalibus pariter aliisque festis diebus in sacris conventibus solent legere, Harmoniam: deinde & eorundem omnium luculentam, ac perpetuam paraphrasin.

Quanti vero ſit laboris, quantæ doctrinæ opus, illud tum demum quis experietur, ubi ipſemet periculum fecerit ſimilis conatus. Quanti ſit παραφράζειν ſcribere, poſſumus tuto credere hoc in genere verſatiſſimo τῷ πάνυ Eraſmo. Enimvero ante omnia unice requiritur ſacri codicis lectio non diligens tantũ, ſed judicio etiam accurato ſubnixa. Requiritur & conſilium optimorum quorumvis, qui in illo ſtudio ſeſe exercuere. Qui enim alias poſſis variarum adeo, ut ita loquar, vocum in diverſis libris ſonantium, ſuavem illum concentum modulari? Qui poſſis hiantem ſæpe & abruptum ſermonẽ, ſæpe etiam multis de cauſis obſcuriorem, ita formare, ne quid non ſit perſpicuum, & apte cohærens? Nihil vero horum à literatiſſimo principe neglectum eſſe, utique res ipſa loquitur. Si tertiam cumprimis harmoniæ evangelicæ editionem (nam quarta & quinta lectionibus publicis ſacrorum conventuum potiſſimum dedicatæ ſunt) videas, admiraberis præterea diligens illud indiciũ omnium ſacri codicis locorum, quæ ad illuſtrandam propoſitam aliquam ſententiam, quoquo modo poſſunt facere. Conſulut vero ſummæ induſtriæ princeps non illos duntaxat, qui primo aut ſecuto eccleſiæ ævo in concordiã, ut ajunt, vocare ſacram evangelii hiſtoriam allaboraverunt, Tatianum, Ammonium, Gerſonem, Alanum Copum, Mercatorem, Janſenium, Chemnitium noſtrum & alios; ſed ſimul ſacri codicis univerſi optimos quosque & celeberrimos commentatores: quorum omnium locupletiſſimũ theſaurum AVGVSTA ſuppeditat. Et vero ne cujusquam opera temere ſacro hoc in exercitio lateret, confectus ab ipſomet principe eſt catalogus iſte omnium ſacræ ſcripturæ interpretum comentatorumq́; quem ſupra jam tum alios inter indices commendavi. Hinc ſane illud noſtrũ (quidni enim *noſtrum* appellem, quo optimus princeps omnium noſtrorum pietati & æternæ ſaluti voluit conſultũ?) Harmonicæ paraphraſeos opus, vice eſt optimæ & luculen-

luculentiſſimæ ſimul commentationis. Neſcio num videris, BOINEBVRGI, alium quenquam idem qui vel conatus ſit. Ego, fateor, novi neminem. Summam ſane admirationem meretur unius Eraſmi paraphraſis: ſed harmoniam ille non attigit. Alii ſive harmoniarum, ſive commentationū ſcriptores itidē ſuis ſeſe limitibus continuerunt: nemo omnia ſimul aggreſſus eſt. Multo minus aliquis principum, inter graviſſima regiminis negotia, tale quidquam vel leviſſimo eſt digito molitus, imo vel animo agitavit. De uno Carolo, Magni ſane & ingenii & operis rege, legas, illum ſive per Paulū Aquilegienſem diaconum, ſive Alcuinum Anglum, illas eccleſiis noſtris paſſim hodieq; uſitatas περικοπὰς ſacris diebus aptaviſſe; curaſſe item ex ſanctorum patrum homiliis ad illuſtrandas illas περικοπὰς, quæ idoneæ maxime ſunt viſæ, excerpi. Quanto vero diſtant à Carolinis illis hæc AVGVSTI principis! Ibi utiq; nihil non alienum obſerves; hic nihil non principis proprium. Homiliæ præterea iſtæ harmonicū nihil fere habent; & ſenſum litteralem, quem appellamus, frequenter obſcurant potius quā illuſtrant, paræneticis præcipue vel allegoricis intentæ: cum tamen maxime ſenſu litterali ſacræ ſcripturæ ſanctus Spiritus nos ad veritatē & ſalutis obtinendæ viā deducat.

Sed quo me abripit harmonici operis præſtantia? Hoc tantū volo: Vt ex aliis à principe ipſomet confectis voluminibus, ita etiam ex hoc apparere omnibus poſſe ingentem illam principis eruditionem, qua unus præ aliis Magnatum ordinis idoneus eſt redditus ad AVGVSTAM bibliothecam proprio, ut ſic dicam, Marte, proprio conſilio, condendā diſponendamque. Multo magis autem admiraberis illam principis doctrinam, BOINEBVRGI, ſi coram audias eundem diſſerentem de omnibus fere & ſingulis tam vaſtæ bibliothecæ & auctoribus & libris. Admirata eſt antiquitas Cyrum Perſarum, & Mithridatem Ponti regem, quod ſingulos numeroſi exerci-

exercitus milites nominatim appellare potuerint: quidni igitur mecum admireris in principe, tot millium auctorum & librorum promptam adeo memoriam atq; accuratam notitiam? Non fallor; nihil certe do affectui: si coram principe fruereris, quemadmodum mihi feliciter est concessum, diceres, scio, illum, spectata isthac inusitata librorum peritia, Μουσεῖον περιπατοῦν καὶ βιβλιοθήκην τινὰ ἔμψυχον, velut Dionysium Longinum appellat Eunapius in vita Porphyrii. Talis vero nisi fueris, tua quidem propria arte bibliothecam haud struxeris. Quem Tu vero regum, quem principum, BOINEBVRGI, omni ex ævo laudaveris mihi, qui illa librorum diffusa valuerit experientia? Quem adduxeris, cui varia eruditione princeps meus sit secundus? si quidem Salomonem excipere placuerit, illum ultra humanam sortem positum. Tanta vero eruditione præditus sit necessum est vastæ adeo bibliothecæ qualis AVGVSTA est idoneus quivis conditor. Hinc sane Varronis opera in id uti voluit Julius Cæsar, tanquam romanorum undequaque doctissimi; &, si vera est fama, usus est Ptolomæus Demetrio Phaleræo. Feliciter quoque adeo auspiciis eminentissimi cardinalis Mazarini structa est illa bibliothecarum omnium copiosissima, quoniã Gabriel Naudæus amplæ vir doctrinæ curam ejus condendæ suscepisset. Vno verbo; nulla usquã bibliotheca eximia instituta est, nisi per doctissimos conditores, & quidẽ nonnisi per solos illos, quales *animatas bibliothecas* & *ambulantia musea* cum Eunapio quis merito dixerit, ob variam doctrinam plurimorumque scriptorũ usum & experientiam. Quoniam vero strui bibliotheca aliqua vere regia non potest sine tam excellenti conditoris peritia, ejusmodi peritia autem in quoquam principum alio quam in AVGVSTO nostro hactenus forte inventa non est, non profecto fides illi meæ narrationi est detrahenda; quod videlicet ab ipsomet principe, nullo accedente eruditi bibliothecarii vel consilio

vel

vel opera, illa admiranda AVGVSTA à primis usque rudimentis instituta, congesta, disposita, & tam vastis indicibus sit ordinata.

Jam porro non minor eruditione etiam industria requiritur in eo qui AVGVSTAE parem bibliothecã veli condere. Multo certe opus est studio, ut undiq; terrarum congeras immensam adeo librorum copiam, utque congestam justo ordine disponas: incredibilis vero est industriæ opus indicis accurati confectio. Quam paucos vero regum principumque videas non in otium proniores quã laborem! Quam exiguus est numerus eorum, qui cum cura & debito studio agere cupiant vel ea, quæ officii ratio, imo quæ salus, agere omnino jubet! Longe paucissimi vero ultra illa velint si quid est otii non animo relaxando impendere. Quis itaq; illorum etiam sustineat temere laborem, quem bibliothecæ constructio exigit? Vnici vero plane ingenii etiam hac in re est noster ὁ Σεβαστός. Dixerim sane illum nullo pene momento feriari à feriis negotiis. Nunquam certe minus otiosus est quam cum est otiosus: quod Africanum Scipionem de sese quondam memorasse referunt. Admotus est jam anno seculi hujus tricesimo quarto, per obitum Friderici Vlrici ducis, regimini amplissimarum regionũ; & exceperunt illum tempora maxime turbulenta & difficilia, qualia totos octingentos annos, ex quo universa Germania unum sceptrum cœpit colere, majores experti haud erant: quæ die noctuque principis animum indefessum exercuerunt. Jurare tibi ausim tamen, BOINEBVRGI, nihil ab illo usq; tempore in republica esse gestum, quantivis saltim usus, principe non conscio, nihil rei magnæ, principe inconsulto: imo neglectum nihil à principe etiam eorum, quæ attendere boni & gnavi est patrisfamilias. Est autem rerum ejusmodi multitudo propemodum infinita: concurrentibus scilicet ad opulenti patrimonii & hujus ducatus curationem perquam gravẽ III.

ac diffusam, negotiis cum Saxonici quem vocant, circuli, tum universi imperii Germanici, pari industria exequendis. Interea tamen tantum abest, remissam esse ingentem illam bibliothecæ curam, ut potius tanto ea creverit magis, quantum magis accessit facultatibus. Julius Cæsar apud Lucanum Aegyptio sacerdoti sese jactitavit:

Media inter prælia semper
Stellarum cœliq; plagis superisque vacavi.

Id jure an injuria ille fecerit, non jam dixerim: hoc scio, posse merito optimo gloriari nostrum: media inter ardua quæq; & difficillima reipublicæ ac domus negotia, vacasse sese hactenus AVGVSTAE suae incremento. Quid censes, illustris BOINEBVRGI; num temere principum alius quis potest idem? Vt potest nemo, ita nemo si idem præstiterit, non est quod miremur.

IV. Longo deniq; tempore opus profecto est ad usq; adeo ingentem bibliothecam, qualis AVGVSTA est, perficiendam. Nec vero quidquam simul magnum & cito fit. Brevis ætas itaque bibliothecas condentium effecit plerumq;, ut nulla pene illarum à primo conditore ad justam magnitudinem deducta sit. Favit vero hac etiam parte principi inusitata felicitas; concessa divinitus benignitate, paucos cis dies annum vitæ tertium post octogesimum auspicandi. Quam paucis mortalium, BOINEBVRGI, tantum ævi spacium decurrere datur! Jam tum vox fuit Moysis, cum spectaret quod jam illa tempestate passim contingebat: *vitam hominum septuaginta annorum esse, si multum crescat, octoginta:* & tamen hos etiam terminos assequi jamdudum fuit rarum. Cumprimis paucos Magnatum ordinis reperias, qui natalem octogesimum vel attigerint. Magno studio ex græcorũ monumentis collectos, recensuit illos ad sua usq; tempora Lucianus ἐν μακροβίοις: (nisi quod Agesilaum Lacedæmoniorũ regem neglexit, cujus anni vel ex Xe-
nophonte

nophonte potuisset discere) pauciores adhuc sequentia nobis secula præbuerunt. Germaniae regum principumq;, si modo ulli, longe utiq; paucissimis, provecta ejusmodi senectus obtigit: quantum equidem in præsens memini; Majorum τῦ Σεβαςμίυ principis, nisi vehementer fallor, nemini. Hodie profecto non universa Europa (Europam quid dico?) non Asia, non Africa, non America, in principum ordine exemplum simile habet: imo jampridem nullum habuit. Vsque adeo rarissimum hactenus est, & principem simul esse & provectæ adeo senectutis. Et tamen in hoc quamvis paucorum numero nonnullis senectus illa, virium animi corporisq; defectu, in dispendium felicitatis potius cessit quam aliquod augmentum. Principi autem meo non tantum non gravis, hactenus quidem, senectus contigit, sed nec molesta; vere sine senio senectus, ceu dicebam antehac. Potest sane cum Leontino Gorgia dicere: *non habeo quod accusem senectutem.* Quin ausim ego non vane similem felicitatem in multos adhuc annos illi polliceri. Quidni enim pollicear, si expendam quod adhuc superest & animi pariter & corporis robur? Dedit scilicet natura principi & animum vastum & corpus non validum minus quam prolixum. Hujus autem vires, cum in vita omni temperantia, tum in juventute exercitatio nullius non generis quæ principẽ decent (in omnibus enim etiam illis pares quosq; antecelluit) etiam auxerunt. Quamvis igitur ætate nonnihil sit detritum, sic satis integra tamen adhuc sunt omnia. Nec enim morbis senilibus corpus languet: in animo autẽ etiam viget memoria, prudentia, sapientia, propria senectutis arma; ipsa morum senilis gravitas ita adhuc comitate condita est, ut jucunda quoque, nec à jocis & salibus pristinis aliena, principis sit conversatio. Si canos sane haud videas, sed indefessos principis labores, juvenem dixeris te videre non senem. Hæc certe in hunc modum integra, vetant me brevi sequius quidquam metuere:

præsertim quum accedat victus ratio ætati & corpori maxime conveniens. Qua in re habeo utique medicæ artis meæ antesignanos omnes, eorumque præclara observata ac præcepta mecum consentientia: ne me vatem temerarium fortassis existimes. Sed & qui irritæ sint tot pro incolumitate principis fusæ semper ad Deum preces? Neque vero hic duntaxat sed etiam alibi, in locis remotis, ubi principis virtus inclaruit, illæ fundi solent. Imo non dubito te etiam, BOINEBVRGI, vota proximo natali principis die nobiscum facturum; qualia Augusto suo olim precatus est Flaccus:

Serus in cœlum venias; diuq;
Lætus intersis populo Caycum,
Neve te nostris vitiis iniqua
Ocyus aura
Tollet.

Sed quid te, VIR ILLVSTRIS, moror? Dixeram, merito quidem admiratione esse digna quæ attuli: quod nimirum vere AVGVSTVS ille princeps meus bibliothecam suam *primum* ipsemet propria arte condiderit, & disposuerit, *secundo* idem & inceperit pariter & perfecerit, *tertio* propriis sibi impensis, comparaverit: non tamen ideo cui videri dubia oportere, quoniam nemo regum aut principum alius simile quid præstiterit; neminem enim idem efficere potuisse, quoniam in illo principe quatuor sint singularia, quæ in aliis vulgo desiderantur, nempe inusitatam φιλοβιβλίαν, eruditionem plane eximiam ac diffusam, industriam indefessam, & deniq; ætatem molliter provectam in longam senectutem. Hæc quatuor singulari modo principi esse quasi præcipua, seorsim prolixe probavi. Non arbitror itaque jam quidem amplius repertum iri quempiam, qui ausit narrationem meam vocare in dubium. Licebit autem hoc impetrato tandem etiam omnem hanc epistolam claudere: quoniam nihil superest de biblio-

bibliotheca AVGVSTA ſcribendum. Quantum ſane ad inſtitutum meum facit. Alias enim ſi omnia, quæ vel poſſint vel debeant ſcribi, adferre equidem velim, fateor, longe plurima etiamnum ſupereſſe indicta. Cæterum mihi non niſi per epiſtolam ea, quæ potiſſima ſunt viſa narrare tibi propoſitum fuit: cumprimis autem volui cauſſam reddere, quamobrem deſiderio tuo de indicis editione ſatisfieri nequeat. Fortasſis verò jam tum modum epiſtolæ excesſi. Neque ego id criminanti multum repugnaverim. Habet hoc fere extemporanea ſcriptio, qualis mea eſt tantum non omnis, ut intra limites initiò inſtitutos raro ſeſe contineat: mihi hactenus, fateor, ſæpius pro urceolis amphoræ exierunt. Per me tamen licebit librum appellare, quam epiſtolam eſſe volui. Enim vero minore culpa addi etiam ſuperflua arbitror, quam omitti neceſſaria. Nec tamen in alienis me verſatum eſſe, forte tu conquereris. Si quis alius nihilominus longitudinem incuſaverit, reponam illud Martialis:

Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis.

Sed & amœniora hæc patiuntur aliquem exceſſum excurſumque. Mihi ſane nihil hac ſcriptione fuit aliquam diu jucundius; quamvis tot moleſtis negotiis occupato. Sed nec promptiorem facile calamum ſenſi hactenus; procul dubio, pietate in principem multis nominibus mihi ſanctum, & argumenti ſvavitate calamum impellente. Vale, Excellentisſime BOINEBVRGI, & ſalve plurimum. Helmeſtadii in Acad. Julia propridie Kal. April. cIↃ IↃ. c. LXI.

RECENSIO VOLVMINVM
quæ in Bibliotheca AVGVSTA
reperta fuerunt X. Aprilis
Anno cIↃ IↃcLXI.
die natali Principis octogesimo tertio.

	In Folio	Reliqvorvm	Svmma
1. THEOLOGICOR.	1813.	8328.	10141.
2. JVRIDICOR.	979.	1511.	2490.
3. HISTORICOR.	1016.	2180.	3196.
4. BELLICOR.	76.	129.	205.
5. POLITICOR.	66.	1071.	1137.
6. OECONOMICOR.	7.	47.	54.
7. ETHICOR.	73.	1424.	1497.
8. MEDICOR.	182.	611.	793.
9. GEOGRAPHICOR.	62.	93.	155.
10. ASTRONOMICOR.	54.	259.	313.
11. MVSICOR.	38.	75.	113.
12. PHYSICOR.	165.	472.	637.
13. GEOMETRICOR.	192.	182.	374.
14. ARITHMETICOR.	11.	72.	83.
15. POETICOR.	100.	423.	523.
16. LOGICOR.	4.	71.	75.
17. RHETORICOR.	37.	545.	582.
18. GRAMMATICOR.	92.	503.	595.
19. QVODLIBETICOR.	530.	2919.	3449.
20. MANVSCRIPTOR.	1271.	732.	2003.
Summa	6768.	21647.	

Summa omnium { Voluminum — 28415.
Librorum separatorum — 116351.

Etsi autem per tres & viginti annos proximos bibliotheca Augusta aliquot mille voluminibus aucta sit; quantum tamen singulis classibus accesserit nondum rescire licuit: quam primum autem novæ recensionis omnium illiusmodi voluminum, quam quidem brevi speramus, nobis dabitur copia, eam novæ huic editioni epistolæ Conringianæ adjiciemus.

BENEVOLO LECTORI S. P. D.

Nunquam ante hac induxi animum de re bibliothecaria quidquam commentari; de bibliotheca etiam Augusta aliquid scribere nuper deniq; cœpi consilium. Occasionem scribendi dedit illustris Boineburgius, indicem Augustæ hujus bibliothecæ, de cujus ille divitiis multa audierat, desiderans, ejusque impressionem principi suadens, primùm per amplissimum virum Polycarpum Heilandum consiliarium principis & jam Francofurti res imperii pariter ac fœderis curantem, deinde per me, tandem denique negotium urgens propria quadam ad principem epistola. Occœpi scilicet ego hac occasione intimius & magis solito in bibliothecæ illius rem omnem advertere: statimque deprehendi, parere quidem thesaurum illum spectantibus omnibus sui admirationem, librorum inusitata multitudine, neutiquam tamen in justo esse pretio: idque quandoquidem paucissimi intelligant perfectionem veram numeris omnibus absolutæ bibliothecæ, vel ejus comparandæ & disponendæ & collocandæ artem ac proinde AVGVSTAE vim & pretium, quidq; à principe sit præstitum, vel adhuc præstetur, per quam pauci valeant animo assequi. Id verò indignum esse equidem ratus fui; præsertim quod jam conscius essem, quàm inusitata & pulchra & perfecta heic sint omnia. Impulit igitur me & in principem incomparabilem pietas, & boni literarii studium, per epistolam publicam cùm Boineburgio tùm & aliis, omnia mihi de Augusta illa bibliothe-

ca

ca jam comperta, nonnibil pleniùs narrare, ſimulq́ intexere quæ de bibliothecaria re, vel adverſaria, quamvis hoc in argumento perquam egena & ſterilia, vel memoria, poſſint ſuggerere. Sic natum mihi hoc opuſculum eſt: ſed ſcriptione tumultuariâ pariter & extemporaneâ. Inter perpetuas enim & varias occupationes, menſtruo ſpacio, horis ſucciſivis, in chartam ſimulac aliquid à me conjectum eſt, & exceperunt mox operæ typographicæ noſtræ & impreſſerunt; quamvis interea temporis non niſi octodecim plagulas potuerint abſolvere. Hæc ideo narro, ut veniam impetrem erroribus, ſi qui forte abs me commiſſi ſunt. Fateor enim me nec plenâ omnium bibliothecarum illuſtrium notitiâ, nec juſto otio aut tempore inſtructum, ad ſcribendum acceſſiſſe, & tamen coactum omnes omnino bibliothecas illas, repetitâ etiam retro memoriâ, quadam ex parte in arenam adducere: provocante me ſcilicet debito principi officio, maximè poſteaquam à conſiliis eſſe juſſus fui, ad tantum negotium ſuſcipiendum agendumque: Quicquid verò peccavi, non malitiâ ſed innocente errore commiſſum abs me eſt. Nec enim cauſſæ quidquam fuit, cur vel amor in principem vel in quemquam odium me à veritatis tramite detraheret. Odii ſane cauſam omnem procul habeo. Et ea eſt cum principis tum bibliothecæ Auguſtæ manifeſta omnium oculis virtus, ut ex iniquâ aliorum detractione petitam anxie laudum conquiſitionem, amor ille haud poſſit imperare.

IN-

PRAEFATIONI DE SCRIPTIS ET BIBLIOTHECIS ANTEDILUVIANIS subjunguntur sequentes commentatiunculæ:

Index Rerum & autorum.

A

Ambro-

Biblio-

D.

L.

Lici-

Ma-

Pam-

Q.

R.

Volu-